

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Da. 14. 1

5

O R A T I O
DE STUDIIS
SANIORIS PHI-
LOSOPHIAE EIVS
que vsu in doctrina Eccle-
siae, & metis,

RECITATA A
DECANO COLLEGII
Philosophici M. CONRADO BER-
GIO Colbergensi Pomerano, cum tri-
bueretur testimonium doctrinae publicae
cum viginti quinque honestis ac doctis
Viris in Academia Vuiteber-
gensi die 4 Martij
Anno 1578.

*Addita est Quaestio, de sententia
versus graeci: ἡ δὲ ἐκ κομῆτης,
ὅτις ἔκκειν φέρει.*



VVITEBERGAE
Excusa typis Seitzianis.

ORATIO.

ETSI neminem vestrum esse suspicor: Reuerendi Clarissimiq; viri, præceptores colendi, & vos auditores cæteri, nobilitate, doctrina & virtute ornatissimi: ita ignarum rerum, aut iniquum æstimatorem moris nostri, quin me grauisima ratione officij adductum ad dicendum, venia dignũ putet: & seu favore honestissimi huius agminis candidati, seu amore Scholæ, omni suspicione sinistra facile liberet: tamen hic frequens conspectus vester, & hæc loci autoritas, & meæ imbecillitatis conscientia metum mihi atq; sollicitudinem non mediocre inicit, vt dignum aliquid auribus vestris, nec alienum memoria veteri in medium proferam.

A 2 Etenim

Etenim in oculis atq; animo etiam
versatur mihi felicissimi illius tem-
poris imago, quo florente ingenijs &
doctrina præstantium virorum hac
Schola, eæ voces ex hoc ipso loco so-
nuerunt ad aures vestras, quarum vix
vmbra hac miseria temporum & in-
felicitate ingeniorum retinemus: Qua-
rum si aut doctrine vbertatem æqua-
re contendam, aut æmulari dictionis
splendorem: ineptus plane atq; irriden-
dus sim, & nihil agam aliud, quàm vt
stultitiæ meæ quàm plurimos testes do-
mestico præconio colligam.

Accedit rerum quas tractamus
amplitudo, & huius muneris dicendi
in cœtu scholastico difficultas. Itaq;
quod Pericli illi in more fuit, vt scan-
surus suggestum peteret à Dijs im-
mortalibus, ne quod sibi verbum im-
prudenti excideret, quod inutile causæ
sæ, aut noxium ciuibus suis foret: id
nobis

nobis multò magis faciendum puto in
hoc honestissimo cœtu de maximis re-
bus verba facturis. Etenim ille vir sa-
pientiæ fama & dicendi copia ita præ-
stitit, vt nec sua ætate parem inuene-
rit, nec in omni ferè posteritate prio-
rem. Me cum infantia mea & do-
ctrinæ tenuitas sollicitum habet: tùm
non leuiter perturbat penè nimius à
natura attributus pudor. Illi vel causæ
se periculum, vel ciuium aliqua offen-
sa metuenda fuit: vel vt atrociter ali-
quid accideret, Reipublicæ etiam de-
trimentum. Hic quanquam istuc
etiam per arduum est, in doctissimo
confessu & honestissimo iuuenum cœtu
verba facere ita, vt & his vtilia di-
cantur, & illis auditu non iniucunda:
tamen in eo existimationis modo leue
periculum vertitur: illud grauius
multò est, & maiori cautione dignum,
ne quid cum offensione iuuentutis di-

A 3

catur

Plato Timæo
416.

catur eiusmodi, quo vel mores aliquo-
rum deteriores sint, vel opiniones
prave & noxiæ instillentur bibulis
& nouitatis rapacissimis iuuenum au-
ribus: quæ cum semel penitus insede-
rint, ὡς περ ἐγκύματα ἀνεκπλώτῃ γραφῆς
ἐμμονα, nunquam ex animis euellan-
tur. Itaq; grauissimè admonuit A-
postolus: Nolite multi magistri fieri:
Item: Sit omnis homo velox ad au-
diendum, tardus ad loquendum. Et
Ecclesiastes inquit: ne sis velox ad
loquendum coram Deo: nam Deus
in cælo est, tu autem in terra. Quan-
ta cum sollicitudine accedere debemus
ad dicendum in oculis & auribus
Dei, qui è cælo ἐφορᾷ est & arbi-
ter eorum quæ in terris tractamus, in-
spector cordium, testis dictorū, & iu-
dex: ne quid temerè, ne futiliter, ne ἀν-
τοκεδίαζοντες ἢ γλωσσαλοῦντες prolo-
quamur. Vt multò hercle satius esse
videat

videatur, tacentem audire, quàm nul-
los audientem confidenter loqui: &
sedentis sit quàm stantis longè melior
conditio.

Sed cùm me non stulta ostenta-
tio, à qua absui semper quàm longissi-
mè, non animi inuerecundia aliqua,
aut inanis ingenij fiducia, à qua na-
tura abhorreo: sed honesta officij ra-
tio, & consuetudo Scholæ, & hono-
ris præmium doctrinæ debitum, in
hunc locum adduxerit: & æquioribus
vobis, Auditores, me vsurum confi-
do: & diuina fretus ope, vt potero
dicere de rebus bonis & vtilibus cona-
bor, quando non possum vt volo atq;
debeo. Ac mihi pro Periclis voto
erit ex Psalmo precatio: Custodi
DOMINE linguam meam à ma-
lo, & labia mea ne loquantur do-
lum.

A 4 Cogit

Cogitanti autem mihi de argu-
mento idoneo, nihil prius neq; potius
esse visum est, quàm vt è medio, atq;
ab ipsa re, cuius caussa conuenimus,
peterem dicendi materiam: & com-
mendatione sanioris Philosophiæ, ex-
uscitarem, si possem, & accenderem
discipulorum animos studio discendi.
Nam siue hunc congressum intueor
scholasticum, nihil inuenio aptius:
siue me ipsum viresq; meas, quæ perexi-
guæ sunt, exploro, nihil ad dicendum
promptius, aut facilius. Quod si fru-
ctum aliquem dicendi quæro, quid
magis ex vsu publico atq; necessario
vitæ humanæ esse potest in hoc tem-
pore, quàm stimulum addere torpenti-
bus ignauia iuuenum animis: & senes-
centiam literarum, non dicam ruinam
prohibere, sed prorogare atq; differre
fatum? Etenim, quis hoc non videt?
quis non conqueritur de intermissione
atq;

atq; adeo interitu studiorum liberali-
um? quis verò eam rem seu ignavia
sua, seu despectu aliorum non accele-
rat & adiuvat? Quanquam hæc illa
cantilena est, quæ neutiquam erit
ἀκρόντεος ἢ ἰωτάτη: & in mentem ve-
nit illud Pindari: Vinum quidem ve-
tus, hymnos vero in ipso recenti flore
laudari oportere. Atqui si ornatissi-
mis Philosophiæ encomijs, quæ sæpe
numero ante hæc, cum alibi tum ex
hac ipsa Cathedra, eruditissimè gra-
uissimeq; dicta sunt, hoc esset effectum,
vt qui tunc discendi ardor cohorta-
tione illa sese in his terris magna
cum salute Reipub. Christianæ ex-
tulit, idem ad nostram & sequentem
ætatem vsq; permaneret: non tamen
prorsus inanis erat futura in re tanta
repetitio, tanquam ἀένδοντες ὄτρυνοντα,
vt aiunt. Nunc quemadmodum se-
nibus surdastris aut obliuiosis: ita

A 5 huic

huic decrepitæ mundi ætati instari
crebris & assiduis vociferationibus
oportet: his præsertim in cœtibus, qui
velut præsidij causa contra barbari-
em collocati sunt, & in excubijs dispo-
siti, vt sint custodes necessariae doctri-
næ in genere humano.

Quid igitur de re notissima di-
cã eiusmodi, vt audiri sine tædio que-
am? Multæ sunt maximæ utilitates,
quas vitæ humanæ Philosophia con-
fert ea in parte, qua suis se finibus con-
tinet, tractatione videlicet earum re-
rum, quæ ipsius propriæ sunt, & po-
sitæ in medio peruestigationi mentis
humanæ patent. Etenim quæ tandem
esset illa vita, sine dicendi ratione, si-
ne cognitione naturæ vniuersæ, &
hominis imprimis, sine disciplina &
moribus? De quibus eò parcius dicam
in præsentia, vel quia sæpenumero
ante hæc explicata, vel quia per se ma-
nifesta

nifesta in illis res est. Etenim illo lumine doctrinae liberalis non magis quam hac luce diurna carere in vita possumus. Sed sunt alia sublimiora: ad quae, tanquam fontem istius lucis, quoties attollere se acies sapientiae humanae conata est, & tanquam à capite arcessere disputationum suarum telam: nihil consecuta est aliud, nisi ut prodita tristi ignorantia sua, alio doctrinae genere opus esse ostenderet: & quodammodo dux nobis & paedagogus fieret ad quaerendum fontem verae sapientiae in Ecclesia patefactum: extra quam de maximis rebus caeca est ratio humana.

Etenim haec maxima hominis sapientia est, & erit in omnem aeternitatem: imprimis nosse Deum: tum, se ipsum nosse. In utroque sese magnifice iactare ausa est sapientia humana.

Primum

Primum enim Philosophiæ Platonice
iste scopus & finis est, δεῦν γυνώσκεις : de
quo gravissimè sic scribit iste autor:
summam sapientiam esse, nosse De-
um: eiusq; fieri quàm similitimum. De
altero vero celebratissimum semper
fuit illud Delphicum: γινώσκει σέο υἱὸς.
Sed in utroq; quàm miserè, quàm tur-
piter lapsa sit ratio humana, id vero
est, quod ostendere in præsentia insti-
tui, ut utilitas Philosophiæ insignis
appareat, etiam ea parte, qua manca,
& mutila & inutilis videri poterat.
Nam de summis quidem rebus istis, &
humano captu amplioribus, ex fontibus
Israhel integram cognitionem
hauriendam esse censeo: interim hu-
manæ sapientiæ conatus considerare
perutile duco, ut agnita humanarum
mentium caligine, ardentiori studio,
gratisq; animis amplectamur cœlitus
affulgentem lucem in verbo diivinitus
pate-

patefacto. Quemadmodum ex densis-
sissimis tenebris profundi carceris, aut
erroris nocturni periculo emergenti,
si repente noua lux oculis effulgeat,
incredibili suauitate perfundat eius
animum, quæ à cæteris quotidiani
temporis usu, ipsaq; assuetudine ocu-
lorum facilimè contemnitur. Enim-
uero etiam illud, ὡς δὲ σέξυτον, opti-
mè nos docebit hæc ipsa consideratio.
Quemadmodum enim natura Speciei,
vt docent Dialectici, ex optimis co-
gnoscitur indiuiduis: ita quantum
lucis à lapsu reliquum sit in mentibus
humanis, non ex aris Tauricis, rituq;
Scythico, aut mensis Sybariticis: sed
de præstantissimorum, quæ extra Ec-
clesiam vnquam vixerunt, ingeniorū
commentationibus istis rectissimè dis-
cemus.

Quanquam animaduerto me am-
plissimam longeq; supra vires meas di-
cendi

cendi materiam ingressum: vt duo do-
ctrinarum genera in contentionem
deducam, Philosophiam hanc huma-
nam matrem artium: & illam coele-
stem sapientiam diuinitus patefactam
Ecclesiae. Sed vestra equitate fretus,
in argumento tali, in quo pro eius am-
plitudine etiam voluisse sat est, ita pro-
grediar, quo ad potero, vt breuissimè
notem tantum & perstringam res
praecipuas, & summa sequar fastigia
rerum. A vobis Reuerendi Clarissi-
miq; Viri reuerenter peto, vt qua estis
humanitate, & erga haec studia vo-
luntate, de argumēto vulgari & noto,
sed accommodato huic tempori & vsui
iuuentutis, sine molestia vestra verba
facere me patiamini.

Cum autem in praesentia ea modo
colligere mihi sit propositum, quae ex
se se de istis rebus genuit ratiocinan-
do Philosophia: non commemorabo

nunc

nunc illa vetustatis Ethnica quasi mysteria, quae ex reliquis doctrinae Patrum conservata, passim in Poetarum atque Philosophorum scriptis attinguntur.

Aristoteles in Rhetoricis citat Heraclitum Ephesium, illum qui $\Sigma\kappa\omicron\tau\alpha\iota\varsigma$ cognominatus fuit, qui initium operum suorum duxit à querela de cœcitate mentis humanae: $\tau\omicron\varsigma\ \lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma\ \delta\upsilon\tau\omicron\varsigma\ \alpha\iota\iota\ \alpha\epsilon\chi\omega\iota\tau\omicron\iota\ \alpha\upsilon\theta\eta\omega\omega\iota\ \gamma\acute{\iota}\gamma\upsilon\upsilon\omicron\upsilon\tau\alpha\iota$. Ac conquiritur Aristoteles de obscuritate auctoris verè $\sigma\kappa\omicron\tau\epsilon\iota\upsilon\varsigma$: σ causam confert in distinctionem Grammaticam, $\acute{\omicron}\tau\iota\ \delta\upsilon\ \xi\acute{\alpha}\delta\iota\omicron\upsilon\ \delta\iota\alpha\sigma\acute{\iota}\xi\alpha\iota$. Dubites enim utrum $\tau\omicron\upsilon\ \lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon\ \delta\upsilon\tau\alpha\ \alpha\iota\iota$ dixerit: an homines $\alpha\iota\iota\ \alpha\epsilon\chi\omega\acute{\iota}\tau\epsilon\varsigma$. Quanquam utrumque rectè: tamen illi sapienti non neglecta ab Heraclito distinctio, sed suae mentis caligo obscuritatis causam attulit. Etenim mihi non dubium est, Heraclitum undecumque accepta fama, de eterno illo $\lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon$, quem nisi ipso

ipso sese reuelante ignorant homines,
locutum. Atq; eo modo Heracliti lo-
cum ex Aurelio Platonico etiam Cy-
rillus allegat lib. 8 contra Iulianum.

Plato haud dubiè ex Mose &
peregrinationibus Aegyptijs hoc ha-
buit: quod in Timæo describit Deum
opificem rerum $\kappa\alpha\iota\ \delta\eta\mu\iota\sigma\gamma\omicron\nu\sigma$: quem ip-
se appellat $\tau\omicron\nu\ \omicron\nu\tau\alpha\ \acute{\alpha}\iota$, hoc est, eum qui
ab æterno est: quem discernit à Dijs
factis, quos appellat $\tau\omicron\varsigma\ \omicron\nu\delta\acute{\epsilon}\omega\tau\ \omicron\nu\tau\alpha\varsigma$,
nimirum Idola gentium, quæ secun-
dum Paulum nihil sunt in mundo. Ex
Poëtis Orpheus, ille princeps $\tau\eta\varsigma\ \kappa\omicron\lambda\upsilon\sigma\ \delta\epsilon\omicron\tau\eta\tau\ \&$
apud Ethnicos, post quasi
 $\kappa\alpha\lambda\iota\nu\omega\delta\acute{\iota}\alpha\ \rho$ canit:

$\xi\iota\varsigma\ \acute{\epsilon}\varsigma\ \acute{\alpha}\nu\tau\omicron\gamma\iota\nu\eta\varsigma$, $\acute{\epsilon}\nu\omicron\varsigma\ \acute{\epsilon}\kappa\ \gamma\omicron\nu\alpha\ \pi\acute{\alpha}\nu\tau\alpha\ \tau\acute{\epsilon}\tau\upsilon\kappa\tau\alpha\iota$,
 $\acute{\epsilon}\rho\delta\ \acute{\alpha}\nu\tau\omicron\iota\varsigma\ \acute{\alpha}\nu\tau\omicron\varsigma\ \pi\epsilon\gamma\iota\gamma\iota\nu\epsilon\tau\alpha\iota$, $\omicron\nu\delta\acute{\epsilon}\tau\iota\varsigma\ \acute{\alpha}\nu\tau\omicron\nu\ \xi\iota\sigma\omicron\gamma\acute{\alpha}\alpha\ \delta\upsilon\eta\tau\omega\ \rho$,
 $\acute{\alpha}\nu\tau\omicron\varsigma\ \delta\acute{\epsilon}\ \tau\epsilon\ \pi\acute{\alpha}\nu\tau\alpha\varsigma\ \delta\epsilon\acute{\alpha}\tau\alpha\iota\ \&c.$

Vnus ab æterno est rerum Sator, omnia ab uno
Orta, quibus præsto est, præstantior ipse, nec ulli
Conspicius mortali, at contra ipse omnia cernit etc.

Et

Et περὶ λόγου inquit:

εἰς δὲ λόγον θεῶν βλέψας, τὸ τῷ προσέδρευε,
εὐδῶωρ κραδίης νοεῶν κύτος, εὐ δ' ἐπίβαντε
ἄτραπιτῶ, μοῦνον δ' ἐσόρα κόσμοιο ἄνακτα
Ἀθάνατον &c. id est,

*Ne tibi caliget mens caeca errore uetusto,
Diuinum aspicio uerbum, cui sedulus insto,
Rectoris informans sensus, et tramite gressus
Fer recto, intendens in solum lumina Regem
Mundi immortalem &c.*

Et iterum:

ἄνδ' ἡρ ὀρκίζω σε πατρός, τὸν φθέγγετο πρῶτον
ἦνίκα κόσμον ἅπαντα ἐαῖς σκρίξατο ἑόλαις:
id est:

Verbum iuro Patris mundi quod dixit in ortu.

*Vbi propter carmen ἄνδ' ἡρ dixit
τὸν λόγον, manifestè alludens ad histo-
riam creationis Mosaicam, ubi dici-
tur, dicendo Deum res omnes creasse.*

*Legerat igitur antiquus Poëta
scriptorum omnium antiquissimum
Mosen, haud dubiè Lino Præceptore
duce: qui cùm literas à Phœnicibus ex
illa vicinitate Iudææ ad Græcos tran-
stulerit, etiam doctrinæ Propheticae*

B secretiora

Secretiora quaedam discipulis suis commu-
nicasse putatur. Multò plura
eius generis referuntur à Iustino, Cle-
mente, & Lactantio, ex Sibyllæ ora-
culis: quod nomen docti non absurdè
derivant à Cabalis Iudaicis, & reli-
quys illis doctrinæ patrum apud Eth-
nicos, quæ memoriæ conseruandæ
causa metris illigatæ & posteris tra-
ditæ essent, attributum putant. Quin-
ydè apud Homerum quoq; & Sopho-
clem, aliosq; autores Ethnicos, annota-
runt nonnulla huiusmodi vestigia do-
ctrinæ cœlestis, de Deo, de ortu rerû,
& summis rebus cæteris: quæ illi seu
ex antiquorum traditis, seu multis
peregrinationibus consecuti, cum non
satis aut probarent, aut intelligerent,
aut tanquam mysteria, non solum à
more & persuasione hominum, sed eti-
am à ratione abhorrentia, efferenda in
vulgus non putarent: & se & alios
in

in densissimis errorum tenebris reli-
querunt: & cognitione imperfecta
hoc sunt consecuti, ut essent, sicut A-
postolus inquit, ἀναπολόγητοι: qui cum
duce ratione cœcitatem suam agnosce-
rent, lucem de cœlo hominibus patefa-
tam non requirerent: sed vanissis-
simarum disputationum διαλογισμοῖς de-
libuti, sibi atq; alijs imponerent. Hæc
igitur prætereo, ut quantum suo acu-
mine, non alienis oculis, mens huma-
na videre potuerit, explanetur.

Inprimis apex Philosophiæ est,
quæstio de Deo: in qua se mirificè tor-
sit sapientia humana: & sicut in per-
plexis aut difficiliorib. vijs fieri solet,
in complura discessit sententiarum atq;
dogmatum diuortia. Etenim omnibus
hominibus innatum erat, & in animo
quasi insculptum, ut ait Cicero 2. de
Nat. Deorum, esse Deum: Qualis
esset varium erat: esse nemo negabat.

B 2

Atqui

Atqui homo qui inter spirituales & corporeas naturas medius, & ex utraq; compositus est, ita ab initio conditus fuit, ut in mente & anima ipsius fulgeret illustris imago Dei inhabitantis, & efficientis motus sibi conformes. Sed in lapsu mens hominis excusso Deo horribili caligine oppressa est: itaq; auulsa à capite suo, & destituta spiritali luce, cum nec videre solum inuisibilem immortalem Deum amplius, nec amplecti sine fide posset: corporis secuta molem, ad rerum visibilium fiduciam prolapsa est. Ac multitudo quidem superstitiosa errans animis idola sculpsit multiplici figura, quæ intueri oculis, quæ brachijs amplecti possent. Afflauerat homini hoc virus Diabolus: ut qui esse sicut Dij animo concupiissent, ydem postea Deos sibi humana figura expeterent. Hanc tam horribilem cæcitatem passim

sim grauiſſimè accusant atq; execran-
tur Propheta: quanquam conciores es
illæ Propheticæ in crassiſſimo cultu
idolatrigo nos coarguunt, qui tristi
imbecillitate naturæ, fiduciam quæ
solo Deo niti debebat, in creaturarum
præſidia transferimus. Sed tamen
Idolorum Vanitatem istam nec igno-
rarunt nec probarunt ne ethnici qui-
dem saniores: qui cùm sentire melius,
& plus cæteris de re tanta intelligere
videri vellent, errorem atq; morem
istum vulgo relinquebant, præsertim
cùm religionem homines sapientes ex
Reipub. vsu constituendam putarent,
vt imperita multitudo tot numinum
metu in officio se accuratiùs cõtineret.

Quid afferunt igitur melius? ni-
hil fere amplius, quàm de vnitæte Dei
languidã et imbecillã mentis suæ con-
iecturam. Etenim ipsa natura in hanc
sententiam inducere homines sapien-

tes potuit, ut unum esse Deum statueret, non plures. Quae de re rationes Aristotelis in medio sunt, ὅτι ἐπὶ ἡμετέροις τὸ πρῶτον κινῶν : quod in iis quae ordine continentur unum certum initium dari oportet, in quo insistatur.

Et tota creatura rerum magna voce loquitur, & esse Deum, & unum esse : cuius rei conspicua quasi vestigia, & expressae imagines incurrunr in oculos. Nam primum in rebus singulis, quicquid est, eo ipso est, quod unum est: quod unione formae cum materia ipsae continentur, quibus disiunctis tum esse unumquodque desinit, cum unum non est amplius. Ex quo ingeniosè concludens Aristoteles in Metaphysicis, inquit: ὅτι ἐπὶ ἅπασιν πρῶτον τὸ τῶν οὐκ ἐπιτιμῶν τὸ ἐνός : Quod sic Boetius extulit: Sicut creator unus est: ita & rebus, quas condidit, hoc in munere dedit, ut unaquaeque esset una.

Deinde

Deinde in vniuersum, etsi species seu
formæ rerum diuersæ plures sunt, ta-
men ipsas inter se communi quodam
vinculo colligatas videas in vnum
quodammodo coalescere. Primæ
naturæ spirituales sunt à corporeis
differentes: quæ in homine admirabili
societate animæ spiritualis cum corpo-
re conglutinatæ sunt. Ita animanti-
um atq; stirpium $\sigma\upsilon\mu\phi\upsilon\iota\alpha$ quædã in ijs,
quæ $\rho\omega\delta\phi\upsilon\tau\alpha$ dicuntur, apparet: Ipsa-
rum etiam stirpium cum lapidum, &
toto inanimatorum genere, in magne-
te, propter mirifica quædam appetitus
atq; motus quasi simulacra. Quæ in-
re sapientia elucet conditoris & omni-
potentia ineffabilis: quam etiam Apo-
stolus affirmat notam gentibus esse
potuisse $\alpha\omega\delta\ \kappa\tau\iota\sigma\tau\omega\epsilon\ \kappa\delta\sigma\mu\varsigma$. Quid ni igi-
tur vnum esse Deū animaduertent
homines incredibili ingenij perspicitas-
te? quib. præsertim hoc propositū fuit,

ut à vulgi erroribus seductam aciem
mentis in veritatis inquisitionem in-
tenderent.

Quin & Homerus de Dijs sen-
sisse quàm scripsisse rectiùs putatur.
Quibus ille perspicacissimus scriptor
cupiditates & flagitia humana, rixas
etiam atq; iurgia & iras penè pueri-
les tribuit, vel humana ad Deos trans-
ferens, ut Ciceroni videtur: vel eti-
am ut absurditate narrationum illa-
rum vulgi de Dijs opinionem exagi-
taret potius, quàm suam exponeret:
Itaq; unum Deum, quem ipse in ser-
mone Phœnicis ad discipulum θεὸν ἄν-
τὸν appellat, hoc versiculo innuere vi-
detur, qui citatur etiam ab Aristo-
tele:

ὄνκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἰς κοίρανος ἔσω:
Multos imperitare malum est, rex unus esto.

Et hætenus quidem progressa ratio
humana vidisse aliquid videtur neu-
tiquam

tiquam aspernandum. Nos autem col-
ligamus sanè, & æqui boniq; facia-
mus qualescunq; reliquias tanquam ex
tristi naufragio nostræ naturæ: sed
illud simul agnoscamus, hanc nullam
partem esse ac vix vmbra eorum
quæ amisimus. Intelligunt Philosophi
& esse Deum, & esse vnum: addit
Plato, etiam bonum, conditorem re-
rum. Sed quis ille sit, & qua erga nos
voluntate, quod scire inprimis inter-
erat, id vero est in quo stupefacta
mens humana prorsus obmutuit. Si-
monides interrogatus à tyranno de
Deo quis esset, sumpto iterum atq; ite-
rum deliberandi spacio, tandem despe-
rans, ingenuè fateri ignorantiam ma-
luit, quàm temerè de re tanta pronun-
ciare.

Fatetur ignorantiam suam etiam
ille, testimonio oraculi: ἀνδρῶν ἀπαντῶν
σωκράτης σοφώτατος: qui etiam hoc ad-
dit:

dit: eò sese fortasse sapientio rem cæte-
ris putari, quia inquit, ἄ μὴ οἶδα, οὐδὲ
οἶομαι εἰδέναι. Fatetur Plato, qui ta-
men cogitari plus posse retur, quàm di-
ci: τὸν μὲν οὖν ὁ αὐτὸς ποικίλῃ, inquit, καὶ πατέ-
ρα τῶν τῶν πάντων εὐσεβῶν τε ἔργων, καὶ εὐερό-
τα ἐἶς πάντας ἀδύνατον λέγειν &c. Quod
sic latinum fecit Cicero: Atq; illum
quidem quasi parentem huius uniuers-
satis, inuenire difficile, & cum iam
inueneris, indicare in vulgus nefas:
Et rursus: ὑμεῖς οἱ κριταὶ περὶ τῶν δειῶν
φύσιν ἀνδραπίναρ ἔχομεν. ὥστε τὸν εἰκότα μὴ
δορ ἀποδέχομένους πρέπει μηδὲν ἔτι πέρας
ζητῆν: hoc est, humanis ingenijs diuina
existimantibus benè agitur, si si-
militudinem veri consequantur. Ali-
bi vero in legibus suis etiã vetat πολλοὺς
πραγματῶν, scrutantes maximum illum
Deorum, & omnium in mundo rerū
causas. De voluntate autem Dei
erga nos, quàm est hoc tenue, est enim
legale,

legale, quod ait Plato: οὐ γὰρ δὴ ὑπὸ
γε θεῶν ἀμελεῖται, ὅς ἂν προδυμῆσθαι ἐθέλων
δίκαιος γίγνεσθαι, καὶ ἐπιτηδέων ἀρετῆν, εἰς
ὅσον δυνατὸν ἀνθρώπων, ὁμοιοῦσθαι θεῶν, εἰκόσθ
γε, τὸν τοιοῦτον μὴ ἀμελεῖσθαι ὑπὸ τῶν ὁμοίων.
Verisimile esse ait, bonos curæ esse
Deo: qua tandem de causa? similitu-
dine & quasi cognatione naturæ. Ni-
mirum emicat in animo pacato exigua
scintillula imaginis Dei: Sed ea in
cruciatu & terroribus animi, in mor-
te, oppressa malis vertitur in tristem
desperationem & horribilem fremen-
tum. Relinquitur enim mens in perpe-
tua dubitatione cogitans de Deo sine
Mediatore. Itaque illi sapientes
cum Idolatriam vulgi improbarunt,
tamen vel sculpunt sibi ipsi ignoratio-
ne mentis idolum longè tetrus, &
ædificant aram Deo ignoto: vel se-
cuti exempla magnæ multitudinis, in
eodem hærent luto, sacrificantes &
vota

vota nuncupantes ijs numinibus, quo-
rum Vanitatem intellexerant. Plato
propter fabulas de multitudine Deo-
rum eicit ciuitate sua Poëtas: atq;
idem sacrificat Dianæ cum Socrate
in Pyræō. Cic. quoq; cum alibi tū in li-
bris de Natura Deorū falsè exagitat
τῶν πολυθεότητων: atq; idē passim in cōcio-
ne populi Romani supplicat Ioui Dijsq;
immortalibus, conditoribus atq; tute-
laribus tanti imperij. Et in Epistola
mandat vxori, vt sacrificet Æscu-
lapiο, cuius ope seruatum se ex lethali
morbo fatetur.

Porro in consideratione operum
diuinorum, quæ dux illis ἢ τῶν θεῶν
γιγνῆσθαι δεῖ esse debuit, quàm sunt
horrendi lapsus Philosophiæ? Plato
horribili contumelia Deum afficit, cui
in fabricatione mundi gloriã sapientiæ
atq; omnipotentiae partim detrahit,
partim

partim cum Dijs quibusdam iunioribus ab ipso creatis communicat. Ponit materiam coeternam Deo rerum effectori: \& τὴν γένεσιν, hoc est, ortum \& procreationem mundi ita describit, non ut illa ex nihilo rerum creatio sit, sed informis rudisq; materiae διατάξις καὶ διακόσμησις, id est, ex inordinato in ordinem adductio: nimirum quia non credit Plato, ex nihilo res omnes produci à Deo potuisse: simul ut intelligatur, nihil ipsi iuris relinqui in materiam, non à se conditam, quin immutabili necessitate omnia trahantur. Ponit \& ideam inter aeterna rerum primordia extra Mentem diuinam, pene tanquam magister puero διαγραφήν καὶ διάταξιν operis praeformans, ut non suo iudicio \& arbitrato, sed ad praescriptum \& exemplar propositum res formasse videatur.

Ac

Ac animam quidem mundi, mundumque ipsum à summo illo Deo creatam ait, eo modo quo diximus: animantium & hominis figmentum, in quo quidem plurimum artis esse putamus, commendat illis diuis, quos ex eadem materia eo consilio genuerat, ut huic viliori fabricæ eos præficeret. Ac inducit sermonem opificis mandantis & quasi delegantis hanc τὸν ζῶον δημιουργία: διὸ δεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς εἶμι. Haud ferè aliter, quàm Iudæi impiè somniarunt, Deum cum Angelis communicasse de creatione hominis, ijs verbis, quæ sunt in Genesi: Faciamus hominem ad imaginem nostram.

Hæc fere summa est theologie Platonice: non satis probata, ne Aristoteli quidem eius discipulo. Vidit enim errata & hallucinationes suas ratio: sed inutili conatu corrigendi, etiam longius aberravit: non aliter quàm

quàm viator in densissimis tenebris
palpitans, deprehendit se deflexisse
à via, sed quò se recipiat, non inue-
nit. Aristoteles igitur cum in Pla-
tonicis istis mysterij plus quàm ratio-
nis esse putaret: ita discessit à magi-
stri vestigijs, vt semitam rectiorem
non patefecerit. Qui tamen eò rectius
philosophari putandus est, atq; eò tu-
tius Philosophiam eius sapientis nos
sequimur, quòd in ijs quæ Philosophiæ
propria sunt, & rationi patent, tra-
dere studet consentanea: interim sub-
limiorem de prima caussa $\delta\epsilon\omega\gamma\iota\alpha\pi$ quasi
data opera refugiens, $\nu\alpha\lambda\tau\acute{o}\nu\ \delta\epsilon\theta\omicron\upsilon\ \epsilon\grave{\xi}\alpha\iota\omicron\upsilon\ \sigma\omega\pi\ \tau\grave{\epsilon}\ \lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$, ponit in cælo $\acute{\alpha}\nu\omicron\gamma\kappa\eta\pi$, in or-
be elementari $\upsilon\lambda\kappa\eta\pi$, $\epsilon\iota\delta\theta$, $\sigma\epsilon\gamma\eta\sigma\tau\eta\pi$: pru-
denter sane: nam quæ stultitia est do-
cendi causa attentare, quòd nesci-
as?

Sed tamen etiam iste sapiens moli-
tus est aliquid in hac parte, nec absti-
nuit

nuit τῷ θεολογικῷ τῆς φιλοσοφίας: & ma-
gistrum cæcum ipse nihilo oculatior
hac in parte correxit valde infelicitè.
Demonstrat esse vnum primum mo-
torem, infinitum, atq; immensum: sed
destrabit ei totum opus creationis atq;
conseruationis rerum, posita æternita-
te mundi ex sui natura. In libello de
mundo, qui tamen non habetur inter
γνήσια scripta eius auctoris, melius alie
quantò de hoc disputatur, initio sump-
to à doctrina patrum: ἀρχαῖος μὲν ὄντων
τις λόγος καὶ πατριός ἐστι πάντων ἀνθρώπων,
ὡς ἐκ θεῶ πάντα, καὶ διὰ θεῶ ἡμῶν σωέσκη-
κεν. Deinde confessus inuisibilem Dei
naturam & incomprehensibilem, per-
inde atq; animæ, ex operibus ait de eo
cogitandum esse, motu videlicet &
gubernatione cæli, omniumq; in mun-
do rerum. Ac rem illustrat analo-
gia: quod in ciuitate lex est: & in
homine τῷ μικροκόσμῳ anima, id in
Mundo

Mundo Deus. Proinde ut in ciuitate
ciuium inter se societas, equo iure
iisdemq; deuincta legibus: ita in mun-
do tanquam communi & magna qua-
dam ciuitate, hominum ad Deum
non uia est lege naturæ colligata.

Hoc illud est, quod tanquam pal-
marium inuenit Philosophia, ut De-
um mundi rectorem, & societate qua-
dam copulatum ipsi genus humanum
assereret: nec ferè multò altius scru-
tando ascendit. Quanquam ne hunc
quidem gradum satis constanter te-
nuit, quin vertigine quadam hebescen-
tis ingenij in teterrimos errores sese
cōiceret. Primum enim, cum Deum in
mundo collocant philosophi, tanquam
animum in corpore humano: eumq; de-
finiunt *νοῦν ἐν τῷ σώματι ἢ ψυχῶσιν ἄσπετος*:
ita colligant cum mundi opificio opifi-
cem, ut esse extra hunc, seu esse alium
à Mundi corporibus negent. Quod
C dogma

dogma ad antiquissimos philosophos
Thaletem & Democritum refert
Plutarchus : ad Pythagoræos vero
Clemens in Protreptico fol. 27. Vbi
refert eorum verba : ὁ μὲν θεὸς εἷς : ἢ
οὗτος ἢ οὐχ ὡς τινεσὺ ποιοῦσιν, ἐκτὸς τῶν
διακοσμησίων, ἀλλ' ἐν αὐτῷ ὅλος, ἐν ὅλῳ
τῷ κύκλῳ, ἐπίσκοπος πάσας γενέσιος, κρῖσι
πῶν ὄλων, αἰεὶ ὢν, καὶ ἐργάτας πῶν ἀνα
τῶν δωάμιων καὶ ἐργῶν ἀπάντων ἐν οὐρα
νῷ φωσῆς, καὶ πάντων πατῆς, νοῦς, καὶ ψύ
χωσις τῷ ὅλῳ κύκλῳ, πάντων κινήσις.
Hoc modo nihil aliud Deus fuerit,
quàm Mundi ἐνσελέχεια quædam, assidue
ciens motus orbium cælestium &
elementorum, ex ipsorum natura.
Qua in parte rectior est, sed tamen
ipsa quoq; mirifica, Platonis opinio.
Attribuit enim animum Mundo tan
quam diuinissimo animanti, incon
spicuum & incorporeum : sed eum à
Deo seiunctum ab eoq; effectum atq;
temperatum ἀναλογία seu proportione

ea

ea, quæ motibus in cœlo diuersis respō-
deret. Sed Aristoteli discipulo huius,
cui extra Mundum nihil est, magis
arrisit illud prius, vt Deum motorem
primum, & ἐνδελέχειαυ Μundi esse,
statueret. Arrisit idem postea ple-
risq; eorum, qui sapientiores videri
vellent: & bis iisdem verbis repetitur
à Virgilio:

Totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Accesserunt noui Aristarchi Stoi-
ci, qui ex hac hypothese suam il-
lam necessitatem fatalem extruxe-
runt. Nimirum si Deus mundo co-
pulatus, tanquam ἐντελέχεια ἢ τὸ
πρῶτον κινούω, quis non videt, non aliter
acturum, quàm ferunt causse secun-
dæ? sicut animæ actiones organo-
rum corporis sequuntur naturam.
Ex quo intelligitur quàm sit lu-

bricum atq; arduum de Deo cogitare
& quærere sine Deo: & quàm ve-
rum sit quod dicitur, errorem fœcun-
dum esse. Nam de societate seu
κοινωνία hominis cum Deo, de qua mul-
tæ splendida extant voces, apud Ci-
ceronem imprimis, ex Platone & Stoi-
cis repetitæ, præclarum dogma esset,
si saluū esset in natura hominis legis
naturæ vinculū, & integra conformi-
tas sapientiæ atq; iusticiæ, fulgentis in
anima eius tanquam templo Dei.
Nunc quæ sine mediatore κοινωνία esse
potest homini cum Deo, quem igno-
rant, quem trepidi horrent, quem tan-
quam iudicem expauescunt, & fugi-
unt cum fremitu?

Quare frustra de Deo rebusq;
diuinis sine autore, sine Duce, sine in-
terprete filio, qui est in sinu patris,
quærit ratio humana: quæ quando
semel

semel discessionem fecit à Deo tan-
quam capite, quò longius scrutando
progreditur, hoc magis perplexitate
viarum & labyrinthis disputatio-
num istarum seducitur. Etenim ne-
quaquam humani ingenij hoc opus est,
diuina & cœlestia mysteria inuesti-
gando patefacere: sed ab hominibus
vt agnosci possit Deus, ipso autore
opus est. Humanarum rerum homi-
nes interpretes atq; testes esse possunt:
quanquam hoc ipsum per arduum est.
Quota pars enim satis explorata no-
bis est, eorum quæ ante oculos interq;
manus sunt? Illud vero miserum,
quòd quæ cæterarum rerum indaga-
rix esse solet, anima hominis, seipsam
non satis perspicit aut agnoscit, quem-
admodum oculus cæteras res omnes
cùm videat, seipsum non videt. Quid
autem turpius, quàm philosophos de
Deo summisq; rebus cæteris nos erudi-

re aggredi, de prima autem ita foedè
hallucinari? Plato quidem animum à
Deo conditum ait, non, vt corpus,
aspectabilem, sed nescio qua ^{ἡρώσει} diui-
duæ seu corporalis & inuiduæ mate-
riæ, ad exemplum temperationis atq;
harmoniae mundi, vt sit totus homo,
perinde vt mundus ipse, ex duabus
naturis diuersis. Hæc nimirum talia
adhuc sunt, quæ verbis dici facilius,
quàm re intelligi posse videantur. Itaq;
vt fit in re obscura & dubia, parum
sibi constare iste sapiens videtur: ali-
bi ortum animæ & initium tribuens,
vt dictum est: alibi, vt in Phædro,
^{ἀγέννητον} ipsam atq; ob hoc ^{ἀνώλετρον},
hoc est, æternam sine ortu atq; inte-
ritu demonstrans: quanquam in cons-
ciliandis his laborat Plutarchus. Sed
& huius & aliorum philosophorum de
anima opiniones mirificas recensere
prolixum foret isto loco, quod fit alibi.

Illo

Illo autem quid turpius aut magis ab-
surdum, quod addit ex dogmate Py-
thagoræο κλίωσιρ ψυχῶρ, & ex homi-
ne in bruta migrationem: ut eandem
in homine atq; asino vel sue naturam
animæ intelligi oporteat.

Cohorrescamus verò animis, legen-
tes hæc opinionum portenta: ac in isto-
rū sapientum erratis tanquam speculo
nostrā contemplemur miseriam & cæ-
citatē. Nam si quid in homine ingenij,
doctrinæ, experientiæ, industriæ esse
potest, sine Deo: eos autores modo lau-
davi, qui omnia ista naturæ vi et inge-
nij contentione cōplexi fuere. Quorum
quidem vel eam ob causam ad nostram
ætatem conseruata puto ingenij monu-
menta, cū innumera interim aliorum
scripta itidē elaborata perierint, ut ex-
taret ad omniū temporū memoriã ad-
umbrata in his et expressa cœcitas mē-
tis humanæ. Nos vero utemur quidem

C 4 philo

philosophia reliqua, sicut oportet: in
tristibus vero hallucinationibus hu-
iusmodi sapientiae humanae cogitabi-
mus illud Pauli: δ' ὅξαντες εἶναι σοφοί,
ἐμωγράνθησαν: & quod est apud Jeremi-
am: Me dereliquerunt fontem aquae
vive, & foderunt sibi cisternas dissi-
patas, quae aquas perennes consolatio-
nis vivificae non continent. Itaque tan-
quam obsonati famem & sitim arden-
tissimam in philosophorum desertis,
redeamus ad fontes Israel: & ex li-
bris sacris Ecclesiae traditis hauriamus
veram agnitionem Dei: qui immen-
sa misericordia prodiens ex arcana
sede maiestatis suae, seipsum patefecit
generi humano tradito certo verbo
& testimonijs additis, ut qui infinita
sapientia & potentia, liberrima vo-
luntate, omnia quaecumque voluit, fece-
rit, per aeternum λόγον totius operis
δημιουργόν, in quo tanquam caractere
substan-

substantiæ patris elucet tota idea &
omnis sapientia opificij mundi: qui
certo tempore venit in mundum, & as=
sumpta nostra carne exhibitus est ge=
neri humano, addito seuerissimo eter=
ni patris mandato: Hunc audite: in
quo oportuit omnia ἀνακεφαλῶσαοθα,
vt sit iam κοινωνία nostra cum eterno
patre, filio & Spiritu sancto, & pa=
teat nobis reditus, tanquam postlimi=
nio, ad eternam istam ciuitatem, &
πολίτευμα nostrum, quod est in cælo.

A Deo & opificio mūdi transeamus
sane ad cætera: & consideremus cona=
tus ingenij humani & decreta sanio=
ris philosophiæ, de maximis in vita
rebus: de lege naturæ, de fine hominis
& beatitudine, de virtute, de vitio,
de pœnis, de causa mali. Nam de prin=
cipijs rerum & ortu Mundi, de pro=
uidentia, de fato, de natura, de ani=
ma hominis, quanquam latissimè pa=
tet

tet ea ratio, & perutilis esse posset col-
latio doctrinarum, tamen vt temporis
rationem haberem, in præcedentibus
tanquam transcurso hæc sat habui pau-
cis attingere. Atqui in sequentibus
quoq, quæ sunt philosophiæ Moralis
propria, cōtrahenda nimirū vela sunt:
de quibus vt plenius dicatur neq, tem-
poris, neq, ingenij huius fuerit iste
labor. Sed quia paulo felicior hac in
parte conatus philosophiæ fuit: est
enim ipsa nihil aliud nisi interpres &
excultrix legis naturæ: ideo præte-
reunda non putavi, vt intelligatur
quantum lucis reliquum sit in mente
post lapsum, & quàm hoc ipsum debile
sit atq, obscurum.

Definit itaq, Aristoteles legem
naturæ, quam ipse alibi φυσικὸν δίκαιον,
alibi κοινὸν νόμον appellat, naturale
quoddam oraculū seu responsum mentis
humane de iusto aut iniusto, etiam si
nulla

nulla societas aut pactio hominum in-
ter sese intercesserit : ὁ μαντεύοντα
πάντες δίκαιον καὶ ἀδίκον, καὶ μηδεμίαν κοι-
νωσίαν πρὸς ἀλλήλους ἢ, μήτε σωθήκη. *Ac*
à Jure civili, quod ipsi est τὸ νομικὸν
δίκαιον, καὶ νόμος ἴδιος, discernit legem
naturæ, quòd hæc sit loco pariter
et tempore perpetua et immutabilis :
ac eius rei testimonia citat ex poë-
tis. Æternam esse Antigone apud
Soph. innuit : οὐ γὰρ τι νῦν τε κακὸν ἐστίν,
ἀλλ' αἰεὶ ποτε ζῆ τὸτο, καὶ δὲ οἷς οἶδεν, ἐξ ὅτου
φανείη. *Quod ubiq; gentium valeat*
lex naturæ, sicut ignis et hic et in
Persia urit, nec mutetur locis, quem-
admodum dierum et noctium spatia
aut mensurarum ratio : ad hoc accom-
modat illud Empedoclis :

Ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶτον νόμιμον διὰ τὸ εὐρυμῆρ
δόντος

ἀιδέρος ἠνεκέως τέταται καὶ ἀπλέτῃ ἀυγῆς.

Atq; hætenus Aristoteles, qui lo-
cum Empedoclis interpretatur de
iure

iure naturæ: quod non angusti defini-
tum terminis sit, sicut pactiones legesq;
humanae, ipsis modo ratæ, qui in eadem
ciuitate sunt, inq; eas conuenere: Sed
pertineat ad omnes, quousq; se hæc
magna Deorum atq; hominum com-
munis ciuitas, ita enim appellant, hoc
est, tota rerum vniuersitas extendit.

Quanquam Empedocles, cum
primum ius in vasti ætheris lateq; do-
minantis cunctas partes, & lucem im-
mensam dimanasse scribit, ipsum De-
um videtur describere, omnia conti-
nentem præsentia sua, & ordinan-
tem, seu ad ordinem immutabilem sa-
pientiæ atq; iustitiæ suæ exigentem.
Atq; hæc sententia fuit eorum qui
in philosophia vetustissimi nominan-
tur. Nam Plato in Cratylo Anaxa-
goram allegat, eum qui quòd intelli-
gentia excelleret, Noûs cognominatus,
& pe

¶ Periclis præceptor fuit: Hic igitur
τὸ δίκαιον definiuit νοῦν εἶναι τὸν αὐτοκρά-
τορα, καὶ οὐδ' ἐνὶ μεμιγμένῳ, καὶ τῶν πάν-
των κοσμοῦ τὰ πράγματα διὰ πάντων ἰόντα.
Ac accommodat huc Plato ἔτυμον τῶν
δικαίων, quod est τὸ τὰ ἄλλα πάντα διαίον.
Cui sententiæ manifestius ipse accedit
in 4 de legibus: quem locum memora-
bilem puto, ¶ integrè referendum:
Deus quidem, inquit, ut vetus est
sermo, initium, finem, atq; medium eo-
rum, quæ sunt, omnium continens,
recto tramite res omnes dirigit se-
cundum naturam obambulans: eum
individa comes sequitur iustitia vl-
trix eorum qui à lege diuina recedunt:
ad quam applicans sese is qui benè bea-
tèq; viuere decreuit, sequitur ¶ ipse
Deum, humili cum reuerentia animi
¶ ornatu debito. Sin quis est, qui
insolens atq; ardens improbitate, effe-
ratur animis, ¶ recedat à Deo, tan-
quam

quam non indigens rectore aut duce:
is vicissim ab eo relinquitur, & de-
sertus à Deo, turbat miscetq; omnia
exultans animis atq; perditus: qui licet
floreat aliquandiu applausu multitu-
dinis, tandem tamen irretitus tenetur
iusto iudicio Dei, & se multosq; alios
vnà secum præcipitat in interitū. Vi-
sum est enim sententiam referre ad
verbum latinè, quanquam plus graui-
tatis est in græcis.

Equidem demirror homines eth-
nicos luce rationis tantum consecutos,
vt dicerent, legē naturæ, quam Em-
pedocles primam & æternam legem
nominat, non tantum fragili quasi ta-
bellæ mentis humanæ insculptam,
Sed esse immutabilem normam sa-
pientiæ atq; iustitiæ immensæ, quæ
est ipse Deus, efficiens & postulans
conformitatem sui ordinis in omni na-
tura,

tura, & seuerè vindicans atq; destru-
ens omnem contumaciam non confor-
mem.

Quid igitur deest hominibus
Ethnicis ad perfectam legis diuinæ
notitiam? quid? nisi quod ipsum
fontem legis nesciunt, Deū videlicet,
de quo nescio quid tanquam vigilan-
tes somniant. Itaq; rursus nos glo-
riosa illa sapientia in ipso limine
destituit, & dimittit ad veram atq;
cœlestem philosophiam Ecclesiæ: quæ
sola rectè agnoscit Deum patefactum
certo verbo: scit sapientiam legis ho-
mini communicatam in creatione, &
postea repetitam & expressa voce
sancitam atq; traditam Mosi, per
manum Mediatoris, in monte Sina:
& sepe declaratam interpretatione
Prophetarum, Christi atq; Aposto-
lorum, vt intelligamus ipsum esse
talem qualis in lege sua describitur.

Itaq;

Itaq; sola Ecclesia integram legem re-
tinet recteq; intellectam, & scit veros
vsus legis, & addit ἐπιείκεια Euange-
ly propter depravationem naturæ,
non præstantis obœdientiam quam
lex requirit. Quibus de rebus tantis
nihil ne somniare quidem potuit philo-
sophia. Quæ cum in eo ipso quod penè
proprium & peculiare tenebat, ita
grauiter adhæserit: nihil mirum est,
si contemptu eius sapientiæ cætera
multitudo eò dementiæ prolapsa fuit,
vt turpitudines manifestas & flagitia
legi naturæ repugnantia publicè ad-
miserit.

Proxima de fine hominis quæ-
stio est, quæ ἐν τῷ ὀνόματι à philosophis &
Beatitudo dicitur, & ad legis diuinæ
finem atq; vsum pertinet. Etenim si
ad imaginem Dei conditus est homo:
ea autem imago in lege expressa est: ni-
mirum summa hominis perfectio atq;
finis

finis fuerit, cum lege congruere.

Atq; hac in parte præcipuè extu-
lit semirifica varietas opinionum dis-
cordantium inter philosophos. In
quibus cum laude digna est hominum
sapientum cura atq; solertia, qui &
esse aliquid vltimum intelligerent in
toto cursu ordinato appetitionum hu-
manarum, quasi stationem atq; por-
tum: et quale illud esset, scire auerent:
tùm deploranda cœcitas & miseria
naturæ humanæ, quæ tanquam in
lubrico errans, cum nusquam sibi con-
stare posset, etiam ad turpissimas &
homine indignas voluptates prouo-
luta fuit. Minimè mirum id quidem:
posteaquam enim ab archetypo suo ho-
mo recesserat, ita factum est, vt neq;
seipsum, neq; finem suum amplius ag-
noscere posset, & omnium in philoso-
phia errorum origo existeret, Dei
ignoratio.

D Plato

Plato in Epinomide præclare
et planè, sicut ipse inquit, ^{δαμασῶς}
differit de fine hominis, qui sit: pu-
rè sanctèq; viuentes atq; feliciter vsq;
ad extremum, et Deum laudibus
celebrantes precari, vt contingat no-
bis quàm rectissimè de eo sentire et
loqui. hoc est καθάρωπερον διαγάγοντι
τὸν βίον τῆς ἀμα τελευτῆς ἀρίστης καὶ καλ-
λίστης τυχεῖν. καὶ τὰς δεῖς ὑμνοῦντα σφό-
δρα τιμᾶσθαι, εὐχόμενον, τὰ κάλλιστα καὶ
ἀρίστα περὶ αὐτῶν ἐπιέναι λέγειν ἡμῖν.

Alibi etiam εὐδαίμονα definit ex eo,
si sit domicilium Dei inhabitantis:
εὐδαίμων, ἔχωρ αὐτὸν εὖ μάλα κεκοσμημέ-
νον τὸν δαίμονα ξάνοικον ἐρ' αὐτῶ.

Sed idem alibi fatetur et deplora-
rat etiam hac in parte ignorantiam
suam: ait mentem hominis tanquam
densissima offusa caligine cæcutire,
noctuæ et vespertilionis instar, nec
vti hac in parte πῖσι μόνιμω, sed intueri
finem

finem suum tanquam umbras, aut
τὰ ἐν τοῖς ὕδασι φαντάσματα. Quæ igitur
causa eius ignorantie? nisi igno-
ratio summi illius & æterni boni: cuius
lucē priuata mens humana, & val-
de parum videt in tantis rebus, &
veluti fluctibus dubitationum agita-
ta, hoc ipsum quicquid est, nihilo fir-
mius apprehendit, quàm imagunculas
in aqua fluctuantes.

Pari ratione Aristoteles, consti-
tuit ille quidem finem, actionem vir-
tutis perfectæ, eamq; virtutem in 10
Ethicorum definit τὸ θεωρητικόν, id est,
contemplatione rerum: cum qua co-
pulatam esse necesse est actionem vir-
tutis practicæ, καὶ τηρεωτικήν: Sed
iam ipsum initium suæ θεωρίας non in-
uenit iste sapiens, ignorans videlicet
primam causam rerum, nec inueniens
de Deo & tota serie operum diuino-
rum quod constanter pronunciet.

D. 2. Quia

Quia tamen virtutem tam illustri loco constituit philosophia peripatetica, eo nimirum quo hominis finem & beatitudinem: videamus sane de hac ipsa sanioris philosophiae rationes. De qua verisimile est eò melius aliquid dicturam, quòd ea quæstio peculiarem & propriam philosophiæ materiã proximè attingit.

Plato igitur sapientiam & virtutem veram definit ὁμοίωσιν σὺν θεῷ κατὰ δυνάμιν. Verba eius recitavi paulo ante ex primo πολιτικῶν. Et in Theæte-
to præclarè inquit: θεὸς οὐδ' αὖ μὴ οὐδ' αὖ μῶς ἀδικός, ἀλλ' ὡς δῖόν τε δίκαιότατος. καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ ὁμοιότερον οὐδὲν, ἢ ἄρ' ἂν ἡμῶν ἀυγενήτι ὅτι δίκαιότατος. ἢ μὲν οἶον τὸ τὸ γνώσις, σοφία καὶ ἀρετὴ ἀληθινή. ἢ ἡ ἀγνοία ἀμαθία καὶ κακία ἐναργής. Duo coniungit Plato, agnitionem Dei, quæ summa sapientia: & similitudinem seu conformitatem cum Deo, quæ in eo est, si quis rursus quàm iustissimus fieri

fieri studeat. Nouit igitur ratio,
etiam illud quod est in versu Sibyllæ:
εἰκόων ἐστ' ἀνδρωπος ἐμὴ, λόγον ὁρῶν ἔχουσα:
& Manilij: exemplumq; Dei quisq;
est in imagine parua. Quod quan-
quam stulta & Idolatrica multitudo
de corporis similitudine accipiendum
putauit: tamen rectius sentit Plato,
expendens videlicet illud: λόγον ὁρῶν:
& de opificio mentis humanæ eter-
nam mentem architectatricem æsti-
mans: vt & ipsam intelligentem, sa-
pientem, iustam & liberam suspice-
tur, quòd earum rerum atq; virtutum
vestigia in sese deprehendit.

Alibi paulo aliter virtutem de-
finit Plato: quanquam verbo quidem
aliter, re ipsa eodem modo: vt sit con-
sensus & ἁρμονία inferiorum virium
cum recta ratione, quæ est lex natu-
ræ, atq; adeo cum ipso Deo. Ac enu-

D 3 merat

merat εἶδη ψυχῆς, seu, vt nos cum *Aristotele* loquimur, potentias animæ, τὸ ἐπιθυμητικόν, τὸ θυμοειδὲς καὶ τὸ λογιστικόν: conferens ad tres ordines in optimè constituta Republica, qui sunt, τὸ χρηματιστικόν, τὸ ἐπιχειρητικόν, τὸ βασιλευστικόν: ostendens analogiam inter se partium, qua fit vt eadem ratione virū iustum dicamus sicut totā ciuitatem: Etenim, si parti principatum tenenti reliquæ inferiores se subiciāt & accommodent, & singulæ cum fide faciant officium proprium: effici statū illum consentaneum naturæ, tanquam sanitatem, & pulcritudinem, & optimum habitum totius animi: seu tanquam harmoniam trium chordarum totius systematis Musici, *υἱᾶτης, ὑπάτης καὶ μέσης* & cæterarum, q̄ his interiectæ sunt, in vnum concentum conspirantium: Sin contra fiat, discessione partium facta, morbum illū existire, seu deformitatē, seu imbecillitatem animi, quæ vitium nomine

mine

minetur, veluti confusum atq; absonū
quendā vlulatum discrepātium vocū.

Aristoteles propiūs demonstrat
formam virtutis: ait esse ἕξις προαίρεσις
ἰσχυρῆ, & esse μεσότης: ingeniosè om-
nino & præclarè. Quantum est
enim doctrinæ & sapientiæ in vna
voce τῆς μεσότητος? Tota natura re-
rum, non tantum hominis vita, medio-
critate constat, excessu autem & de-
fectu omni destruitur. Atqui quis vn-
quam hominum fuit illa præstanti fir-
mitate animi seu habitu προαίρεσεως in
efficiendo omnium rerum modo? quam
verbo magnificè prædicans, Aristote-
les, neq; præstitit ipse, neq; Alexādrū
suum docere potuit: aut cuius fuit illa
omnium virium consentanea harmo-
nia? Operæ pretium est videre, quot
modis seipsam inscitiae coarguat atq;
condemnet ratio humana: quæ cū lu-
mine naturali formam atq; ideam vir-
tutis constituit, tūm requirens in omni

D 4 homi

hominum numero exemplum eius rei
nullum inuenit. Itaq; & Aristoteles
ab actionibus virtutis perfectæ,
discernit eas, quarum exercitio inte-
rim habitus iste comparatur: nimirum
quia in hoc quasi rudimento atq; gym-
nasio ætatem consumimus: & Plato
tanquam agnoscens vmbra[m] virtu-
tis in suis hominibus, discernit inter
χῆμα ἀρετῆς, καὶ ἀληθείας. in Epinomi-
de, vbi colere Deum iubet: οὐ χήμασι
τεχνάζονται, ἀλλ' ἀληθεία τιμῶνται τῆρ ἀρε-
τῆρ. Stoici quoq; à vero & perfecto
virtutis habitu atq; actu, quem suo
more καινοτομοῦντες, κατόρθωμα appella-
runt, discernebant τὰ καθήκοντα, hoc
est, media seu mediocrium hominum
officia. Quis hîc non animaduertit
istorum sapientum somnia & conie-
cturas de statu naturæ integræ? &
inutiles atq; inanes conatus restituenda
in integrum naturæ corruptæ?
dum

dum fingunt informatione animi sa-
pientem quendam, ad exactam ima-
ginem iuris naturæ: quanquam repe-
riri talem difficile esse Simonides fas-
sus est, χερσὶ τε, καὶ ποσὶ καὶ νόῳ τετραγῶνα
νοῦ ἄνευ φόβου τετυγμένον: Qui si quis sit
usquam terrarum aut gentium, enim-
vero non iam terrenus homo, sed di-
vinus quidam censeatur, Qui vix
mortali videatur stirpe creatus: si-
quidem μηδὲρ ἀμαρτήρ ἐστὶ θεῶν, καὶ πάντα
κατορθοῦν. Fuit talis verè divinus ille
Adam, quoad sui similis fuit. Post
ubi statum suum tenere desijt, quid
tandem perfectionis in se reliquæ ha-
buit, qui deformem nuditatē folio ficus
prætexere conatus est, verè χύμασι
τεχνάζων. Ut ait Plato. At illa arro-
gans philosophia ægroti veteris medi-
tatur somnia: qui nimirum videndus
& miserandus sit, si robustum athle-
tam, aut strenuum bellatorem præ se

D 5 ferat,

ferat, cum interim manum loco mouere non possit, aut quod resolutis corporis partibus accidere solet, dextrorsum ciens, in contrariam partem sinisterorsum peruersè ferat.

Nos vero doctrinam de virtutibus, istorum hominum ingenijs atq; solertia eximiè excultam, amplectamur cum studio, & illorum inuentis grati fruamur: cuius doctrinae quantitas sit vis atq; utilitas in vita civili, non est instituti mei demonstrare in presentia. Cæterum de tristi vulnere naturæ nostræ audiamus potius diuinam vocem: peruersum est cor hominis & plenum dolorum: Item sensus carnis inimicitia est aduersus Deum &c. & discamus ex Paulo discrimen inter ἔργα νόμου, ἢ δικαιοσύνη νόμου ἢ θεοῦ: seu inter iustitiam carnis, quæ est externa gubernatio disciplinae, seu χῆμα ἀρετῆς, & inter verā virtutē atq; iustitiā legalem, quæ est perfecta conformitas:

qua

qua destituti post lapsum alia iustitia
indigemus, imputata propter Media-
torem, quæ Paulo est δικαιοσύνη θεῶν καὶ
πίστεως, iustitia reuelata in euangelio,
ad instaurationē naturæ perditæ.

Iam ad peccatum quod attinet,
discernit philosophia inter κακίαν &
ἀμαρτία, inter vitium & peccatum,
seu inter habitum prauum & actum:
non aliter quàm inter virtutis habi-
tum & actiones. Doctrina ecclesiæ
vna appellatione peccati contenta est:
quanquam & ipsa discrimen facit in-
ter prauitatem originis naturæ, &
peccata actualia. Sed infinitum discrimen est, quòd sola ecclesia intelligit
formam peccati, quæ est, esse reum
seu damnatum & reiectum à Deo.
Nam sola ecclesia, sicut obædientiam
refert ad Deum: ita violationem
legis seu ἀνομίαν intelligit esse offen-
sionem infiniti boni destinatam pœ-
næ. Quanquam debuit hoc quoq;
ph

philosophia non ignorare. Quod si enim virtutem Plato dicere potuit esse ὁμόωσις πρὸς θεῷ : quid ni vitium videre debuit, reapse esse secessionem à Deo, obnoxia eternis pœnis. Rursus autem in isto scopulo adhesit ratio, quòd illustrem agnitionem Dei non habuit.

De causa autem peccati, atq; adeo de causa mali, hæc vero illa quaestio est, in qua se mirabiliter torsit ratio humana, nec unquam satis potuit explicare. Semper enim mirati sunt homines sapientes, non tantum unde tot malorum esset in vita, Sed etiam multo magis, unde horribilis illa confusio cupiditatum, & perturbatio ordinis legitimi in tam præstanti natura: cuius inter innumerabiles ærumnas hæc tamē prima summaq; miseria esset, tot esse vitij obnoxiam. Ita enim iudicarunt sapientissimi philo-
sopho

sophorum, quanquam miserum &
ærumnosum vulgo videatur, crucia-
tibus corporis, egestati, exilijs, mor-
bis, morti subiacere: tamen eos de-
mum verè miseros habendos, qui im-
probi essent & iniustissimi.

Inprimis mira hæc peruersitas
est naturæ humanæ, vt in angustijs
constituta perpetuò Deum caussetur
autorem: quemadmodum primus ho-
mo lapsus sui caussam in Deum mu-
lieris conditorem deriuabat. Hinc
illæ voces apud poëtas: οὐ σὺ μοι αἰτία
εἶσσι, θεοὶ δ' ἐμοὶ αἰτιοὶ εἰσι. Et iterum:
ἐξ ἡμῶν γὰρ φάσι καὶ ἔμμεναι &c. Quem
tamē furorē quasi recolligens se ratio
in sapientibus viris, & accuratiùs
cogitans correxit. Grauißimè Plato
in I de Repub: constituens hanc veris-
simam hypothesein & memoria dignā:
κακῶν δ' αἰτιορ φάναι, θεῶν τινι γ' γνεσθαι, ἀγα-
θῶν ὄντα, διαμαχετέορ παντὶ τρόπῳ: μήτε
τινα τᾶυτα λέγειν ἐρτῆ αὐτῶ πόλει, εἰ μέλλει
εὖνορ

ἐπισημασθεδαί μήτε τινα ἀκρίβη, μήτε νεώτερον,
μήτε πρεσβύτερον, μήτε ἐν μέτρῳ, μήτε ἄνευ
μέτρῳ μυθολογοῦντα. ὡς οὐδ' ὅσια ἀπὸ λεγόμε-
να, εἰ λέγοιτο, οὔτε ξύμφορα ἡμῖν, οὔτε ξύμφω-
να ἀντὰ αὐτοῖς Ἔς. *Nimirum tota na-
tura rerū testimonium perhibet boni-
tati Dei, τέκτονος σοφῆ καὶ φιλοζώου: Ἔ
hoc est esse Deum, quod bonum esse:
itaq; gravissima Euripidis vox cele-
bratur: εἰ θεοὶ τι δρῶσιν ἀίχρῳ, οὐκ εἰσιν
θεοὶ.*

*Cui igitur tanquam nomini or-
tum mali acceptum feremus, cum à
Deo discessimus? Plato primùm ma-
teriam caussatur: quæ cum ab initio
rudis, inordinata atq; incōdita fuisset,
à Deo opifice informata, quàm proxi-
mè ad eum deducta statum fuit, qui
esset optimus, hoc est, quem optimus
ordo contineret: à quo statu quando
ad confusionem insitam reuoluitur
materia, nimirum, priscum hoc Ἔ
dome.*

domesticum ipsius vitium est, nec im-
putandum artifici. Hoc modo huic
sapienti sicut materia ipsa per se va-
sta & inordinata: ita in eadem ma-
li semen ab aeterno est, cuius maior
videlicet vis sit, quàm ordinis à Deo
inducti. Deinde causam peccati in
parentes confert Plato: ait neminem
sponte malum esse: Sed vitium in
temperamento esse atq; educatione pri-
ma: eius vitiy in parentibus culpam
esse: sic enim inquit: ἀϊατέον μὲν τὸ
φυτεύοντα ἀεὶ τῶν φυτευομένων μᾶλλον, καὶ
τὸς τρέφοντα τῶν τρεφομένων. Enimvero
cùm hoc modo singuli suos incusabunt,
ad primos parentes tandem reuolue-
tur omnis origo culpæ. De qui-
bus ideo nihil nobis Plato, vel quia
speciem absurditatis narrationum
istarum irrisit, vel quia nemini fa-
cile persuasurum putavit: Ignorasse
quidem

quidem non potuit : multa enim in
scriptis illius Mosaicæ doctrinæ vesti-
gia sunt , cum ab alijs notata , tum
ab antiquissimo scriptore ecclesiastico
Iustino Martyre. Quin illud ipsū quod
de materia iste philosophatur , corrup-
tum est ex historia Geneseos. In qua
quod dicitur, initio cælum & terram
à Deo ex nihilo dicendo conditam,
tanquam incredibile rationi silentio
præterijt, quòd ex nihilo aliquid fieri
posse non crederet. Quod autem de
terra dicitur, quæ fuerit inanis &
vacua seu ἀκατασκέυαστος, interpretatus
est homo ingeniosus, de materia ἀμέ-
τρωσ ἢ ἀτάκτως φερομένη.

Cæterum etiam hoc non proba-
uit Aristotelis præceptoris sui penè
παράδοξον: οὐδὲ εἰς ἐκώρ πονηρὸς: Itaq; contra
disputat, constabiliens τὸ ἀυτεξέσσιον:
hominem enim esse ἀρχὴν πρᾶξεως: itaq;
ut virtutis ita vitiosi habitus con-
trahendi

hendi penes ipsum esse potestatem,
καὶ προαίρεσις: nec in impedimentis affe-
ctuum, temperamenti & educationis
prauæ, tantam vim inesse, vt liberta-
tem agentis interuertant. Qua de re
multa esset, & non inutilis dicendi
materia: quam studio equidem præ-
tereo, vel vt tempori consulam, vel
quòd ea de re rectius à scriptura edo-
ceri possumus. Scimus à lapsu pri-
morum hominum peccati omniumq; in
vita malorum originem natam: libe-
ra voluntate illos à Deo se auertisse,
atq; impulsu Diaboli: in cæteris quan-
quam eadem pernicies ad omnem po-
steritatem peruaserit, nec deponi pec-
tatum, nec restitutio fieri proprijs vi-
ribus possit, tamen aliquam liberta-
tem esse reliquã in actionibus externis
& gubernatione disciplinæ: sanatio-
nem naturæ & auxilia non è philoso-
phiæ exercitijs petendam potissimum:
E sunt

sunt enim valde per se infirma empla-
stra eius prauitatis, quæ in ipsis os-
sibus & medullis, atq; adeo in anima
hominis penitus insedit: sed ex alio do-
ctrinæ genere viuifico diuinitus pate-
facto, & rationi prorsus ignoto.

De cæteris autem malis longè
maior dubitatio oboritur hominibus
ignaris illius vocis Paulinæ: per pecca-
tum mors introijt in mundum. Rursus
autem philosophia *σεμνότερα*, retinens
illud quod supra allegauit Platonis de-
cretum, & tanquam laudem pietatis
ex eo quærens, vt neget Deum qui im-
mutabiliter bonus, itaq; saluti sit ge-
neri humano, vllius mali causam esse
hominibus. Vnde igitur illa sunt? an
vero fortuitò, an frustra hæc tam præ-
stans natura nata est ad ærumnas fe-
rendas, & exantlandos labores, estq;
ita vt Vir sapiens apud Herodotum
excla-

exclamat, πᾶς ἄνθρωπος συμφροῦς? Dies
me deficiat, auditores, si vagabundas
atq; erroneas hac in parte opiniones di-
uersorum colligere velim. Sed sanio-
res qui sunt, hi in ijs præsertim malis,
quæ αὐτόματα sunt, ad primitiuam il-
lam materiæ ἀταξίαν reuoluuntur. Ne-
gat Cicero pro S. Roscio, pernicij cau-
sa diuino consilio fieri, vt hominibus
noceatur, vrbes deleantur, fruges per-
dantur, sed vi ipsa & magnitudine
rerum, videlicet cæco vastoq; impe-
tu variè ruentis materiæ, neq; diutius
continentis se eo ordinis vinculo, quod
ei in formatione rerum à Deo opifice
iniectum est. In cæteris, quæ ἀνδραίετα
sunt ἢ ἐπίσπασα, τῆρ ἐιμαρμένῃρ appellāt,
hoc est, ordinem fatalem in natura, quò
fit vt iniustitiam hominum pœnæ se-
quātur: de quo fato Plutarchus inter-
pretatur illud Homeri: δῖος δ' ἐτελείετο
βῆλν.

E z Sed

Sed illi ad fatum cum refugiunt, ignorantiam suam fateri videntur. Nesciunt enim fati veram rationem atque originem, qui Deo totius universi plenam detrahunt originem. Etenim, quid hoc aliud nisi inane nomen est, ignorato autore eius ordinis et custode? Quid dicam Stoicos? qui ex talibus progressi rudimentis, non homini solum, sed iam Deo quoque omnem agendi libertatem detrahunt: Vtrumque enim immutabili et adamantina quadam necessitatis catena et quasi compedibus iniectis constrictos tenent: neque ceteris modo calamitatibus, sed peccatis quoque perpetrandis homines sub ista fati larva obnoxios reddunt: Deum vero sicut bene maleve quicquam facere hominibus negant: ita quoque irasci aut misereri negant. Eo modo fit, ut et invocationem et metum Dei omnem abo-

aboleant ex mentibus hominum, μήτε
κόλασιν φοβούμενοις, μήτε ἀγαθῶν τι ἐλπί-
ζουσιν ἐκ θεῶ. Iubent inuocare οὐ χρείας
ἐνεκα, ἀλλὰ εὐχαρισίας: iubent rectè fa-
cere propter decus virtutis: interim
manifestè se implicant, adempto re-
ctè aut secus faciendi consilio & li-
bertate. Quantum sit horribilium
furorum in his Stoicorum decretis, ne-
mo sanus non videt. Nos vero alio-
rum admoniti periculo studiosè adhæ-
reamus auctoritati diuinæ vocis: qua
quidem grauissimè reprehenditur hæc
ipsa licentia fingendi. Quis est iste,
inquit propheta, qui dixit vt fieret,
Domino non iubente? ex ore altissimi
non egredientur nec bona nec mala:
Imo, non est malum in ciuitate, quod
non fecit Dominus: horribiliter vide-
licet irascens hominum flagitijs, &
seuerè puniens. Etenim Deus, cūm
sit immutabiliter bonus, ideo vult

naturam à se conditam bonam sibiq;
conformem permanere: quæ simul
ac recessit ab eo ordine sapientiæ &
iustitiæ diuinæ, ob hoc ipsum deserta
à Deo sibiq; permissa, ruat in in-
teritum necesse est. Itaq; immutabili
ordine iustitiæ diuinæ naturam re-
am peccato contaminatam sequitur
destructio: neq; solum bonis benefacere,
sed & prauos non ferre bonitatis diui-
næ est.

Sed video me latissimum campum
ingressum totius philosophiæ sanioris
ad Ecclesiæ doctrinam comparandæ:
et longius opinione mea prouectus exi-
tum quæro. Itaq; pleraq; hac angustia
temporis, non, tanquam lustrandi
caussa huc venerimus, ita inspicien-
da, sed quasi in transitu festinato
aspicienda sunt, & cum notanda præ-
cipua, tum pleraq; à tergo relinquen-
da. Nam quid dicam testem tempo-
rum,

rum, vitam memoriae, magistram vi-
 tae historiam? qua in parte praecipue
 enituerunt olim scriptores ethnici, di-
 uinis homines ingenys, praestanti pru-
 dentia, eloquentia singulari. Ergo
 quod continuam ad nostra tempora
 annorum seriem, mutata translataque im-
 peria, quod perpetuam totius vetusta-
 tis quasi faciem aspiciamus, quod usum
 historiae in vita civili & grauissimis
 momentis rerum non ignoramus: de-
 bemus hoc haud dubie philosophiae ar-
 tibus: quibus exculti homines illi hoc
 tantum opus praestare cum laude po-
 tuerunt. Quod si ad ipsum primordium
 temporis & annorum initia respectes,
 hic philosophia omnis destituta anti-
 quissimi temporis historijs, vel inepta,
 vel muta prorsus est: & verè ἔμνησεν
 αἰὲν παῖδες, οὐδ' ἐμίαν ἔχοντες δι' ἀρχαίαν ἀκοῖν
 παλαιὰν δόξαν, οὐδ' ἐμάθημα χροῖον πολιῶν
 οὐδ' ἐρ: quod obijcit Soloni Sacerdos
 Aegyptius in Timæo Platonis: ubi

E 4 etiam



etiam iste autor tanquam impunè fingens, ut fit, de peregrinationibus suis, ad homines autochthones extera ignorantibus, millia annorum nouem numerat ab Athenis conditis ad Solonis ætatem. Herodotus decem & septem annorum millia commemorat ante Amasin regem ex Ægyptiorum annalibus. Aristoteles omni hac cura de initio annorum Mundi liberat suos homines, æternitate mundum donans. Certè quæ extat historia græca, cum fide perscripta, tribus ferè annorum milibus abest ab initio historiae sacræ. Itaq; cum initia atq; caput omnis memorie antiquæ è libris Ecclesiæ traditis deduximus, tum demum ethnicorum quasi succedaneam operam substituiimus. Quemadmodum & cæteras artes Græci, Phœnices, Ægyptij, non tanquam domi suæ natas, sed à sanctis patribus & Ecclesia acceptas, exco.

excoluere, Geometriam dico, Arithmeti-
cam, Astronomiam, artem medi-
cam: de quibus cum narrationes Io-
sephi Iudaei, tum ipsorum confessiones
Graecorum in medio sunt.

Etenim cum nollet Deus totum
genus humanum in lapsu interire, depre-
cante filio: igniculum rationis, quasi
exiguam scintillulam lucis divinae, in
densis micantem tenebris, reliquum
esse voluit in hominis natura. Et
cum initia atque semina tradidit neces-
sariarum artium: tum homines exci-
tauit, praestantibus ingenijs, ardentibus
studio inquirendi, et amore iuuandae
societatis humanae: ut et reliqua vi-
tae humanae praesidia non deessent, et
honestata ratio extaret disciplina, cul-
tusque humani, quem etiam Apostolus
affirmat esse paedagogum ad Christum
ducentem. Sed est aliud doctrinae ge-

nus, cuius soli Ecclesiae mandata custodia est: non natum in humano pe-
ctore: sed ex arcano consilio diuinitatis prolatum à filio Dei: mysterium absconditum, Iudæis quidem scandalum, Græcis vero stultitia: nobis vero credentibus lux & consolatio viuifica, accensa per Spiritum sanctum in cordibus, & initium vitæ æternæ. In hac interim vita utimur cæteris artibus, tanquam hoc aëre, hac luce diurna, tanquam eximio dono Dei, μετ' εὐχαριστίας. Etiã de maximis illis rebus cōmētationes philosophiæ humanæ non contēnimus: Aut enim dicunt aliquid, quod audire non pœniteat: aut prodita ignorantia sua, faciunt vt nobis miseria naturæ nostræ magis innotescat, et agnita cæcitate naturali beneficiū diuinæ reuelationis magis dulcescat.

Suaue mari magno, turbantibus æquora Ventis
E terra magnum alterius spectare laborem:
Non quia uexari quenquam est incunda uoluptas:
Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est:
inqui

inquit ingeniosissimus poëta. Quid
ni igitur nobis magnum hoc videatur,
è littore spectare posse illorum homi-
num naufragia? præsertim cum non
hallucinationes modò rationis huma-
næ, sed & tristes querelæ eiusdem,
quasi agnoscentis errorem, & deplo-
rantis, & cum miseria sua luctantis,
passim sese offerant apud illos auto-
res: qualis est illa eiusdem poëtæ

O miseras hominum mentes, ô pectora cæca:
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periculis,
Degitur hoc cœui quodcumque est &c.

Quin igitur nos ardenti pectore gra-
tias agimus Deo pro beata luce do-
ctrinæ cœlestis? Quin intelligimus
tandem aliorum edocti exemplo, inutiles
esse rationis humanæ conatus in diui-
nis illis mysterijs, quæ non credere ex-
periundo, sed experiri credendo: nec iam
demonstrationis fide, sed autoris non fal-
lentis asseueratione probari oportet.

Etsi

Etsi autem nobis etiam fatendum est, manere plurima in hac vita imperuestigata atq; incognita: cognoscimus enim quasi per speculum in ænigmate: tamen perinde atq; fœtus in abdito vteri materni, cotyledonibus annascitur, & nutrimentum trahit: ita Ecclesia fide adhærescens verbo patefacto, acquiescit in bonitate Dei, contenta interim hac vita, quæ cum Christo ei in Deo est abscondita: donec ædita in æternam illam lucem, videat facie ad faciem: Cum philosophia interim nihil inueniat in sese, in quo tandem firmitate animi constanter consistat.

Quemadmodum autem ante ostendimus, mutilam per sese, & inanem esse sine diuina luce philosophiam: ita finem atq; exitum eiusdem, videre licet, incertum atq; infelicem: quæ verè, quod de Physicis Socrates dixit,

Ἰσχυρὸν

ὁρᾷ ἀπὸ ἀπὸ καὶ ἔργον σοφίας. *Scopus est*
philosophiae Platonicae, γνῶσις θεῶν: at
ipse Plato conqueritur, nibilo certius
se intueri Deum, quàm imagunculam
in aqua turbata. At Iacob & Moses
vident Deum facie ad faciem.

Præterea hoc agit philosophia,
ut sint homines καλοκάγαδοι: qui iusti-
tia seu integritate honesta vitæ, &
beneficentia erga alios, luceant in gene-
re humano hesperi aut luciferi instar.
Interim de vera pietate in Deum, &
spirituali cultu cordis, altum silenti-
um, aut somnium. Profitetur illa
animi medicinam, ad efficiendam æ-
quabilitatem quandam seu constanti-
am animi ἡρεμίαν, detractis affectu-
um perturbationibus quasi morbis: at
qui peccati medicinam, & sanatio-
nem conscientie saucie, qua iustificati
pacem habeamus apud Deum, hanc
qui

quæ faciet philosophia, quæ etiam morbum suum, quod in morbis corporis lethale habetur, non sentit.

Quid dicam magnarum opum & splendoris reliqui despectum philosophicum? Democritum, Anaxagoram & cæteros patrimonium amplissimum relinquentes, & pecuniam abijciantes, scientiæ amore? rara sunt hæc illorum exempla, eaq; friuola & pene iocularia: & procul absunt ab ijs, qui ut est in Deuteronomio, dicunt parentibus suis, nescio vos: & fratribus suis, ignoro illos: & nesciunt filios suos: ut Dei custodiant eloquia.

Deniq; etiam contra mortem fortis videri philosophia voluit: quam Plato dixit nihil esse aliud quam μελέτην θανάτου: et Cicero meditationem mortis. Hinc illa Socratis ad iudices Areopagitas, toties celebrata vox: sed iam tempus est inquit, hinc abire me

re me vt moriar, vos vt vitam agatis: Vtrum autem sit melius, Deus nouit, hominem quidem scire arbitror neminem. Hinc illud Cyrenæi Theodori animosum responsum: qui Tyrāno crucem minitanti, istis quæso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori nihil interest, huminé an in sublimi putrescat. Deniq; hinc totum agmen illud τῶν ἀποκατεροῦντων, quos tantopere cæca admirata est gentilitas. Atqui nequaquam ille mortis contēptus fuit, sed plena desperationis & fremitus animi obfirmatio. Quid habuerunt enim, quod terroribus mortis opponerent, quibus ipsa animæ immortalitas, terrori atq; pænæ fuit, quòd in morte corporis, æternæ mortis initia susciperent? Sola Ecclesia, & in hac vita uiuit fide filij Dei: & inde emigrans, transit ad beatissimum conspectū Dei, fontem vitæ æternæ.

Itaq;

Itaq; hîc Simeon, petens dimitti se in
pace: hîc Paulus cupiens emigrare tã-
quam diuersorio terreno, *ὡς ἀναλύσαι*,
quia scit se cum Christo futurum: hîc
Ignatius vltro rogans Romanos, vt
patiantur se adipisci martyryj coro-
nam, cupiens dentibus bestiarum mo-
li, vt frumentum & panis purus Dei
reperiatur: deniq; hîc innumerabilis
chorus, & admirabilis tot sanctorum
martyrum constantia. Hi vero fru-
ctus sunt Spiritus: at immaturi cru-
diq; fructus philosophiæ. Quid igi-
tur? an ob hoc abiiciendi? Minimè
vero: est enim sua laus honestæ guber-
nationi morum, atq; disciplinæ: quæ
adeo non reiicienda est, vt seuerissimè
requiratur à Deo. Quin imo turpe
est nobis, tractatione philosophiæ hu-
manæ Aristiden, Socratem, Xeno-
phontem, Pomponiũ Atticum, tot ac
tales extitisse viros, integritate vitæ,
& ius

Et iustitiæ studio spectabiles: nos præ
textu iustitiæ vitæq; spiritualis et
eternæ, πλεονέκτας esse, ὑβριστὰς, cupidi-
tatum seruos: Illos humana omnia
contemnere potuisse virtutis studio:
nos terrena cælestibus potiora ducere:
Illos pro dæmonijs suis, pro Repub.
pro laude virtutis mori ausos: nos vt
iucunditatibus vitæ præsentis per-
fruamur, veritatem cælestem deserere.

Quod si vero seipsa contenta et se
freta philosophia, nec agnoscere cæci-
tatem mentis humanæ, nec cælitus af-
fulgentem lucem amplecti velit, sed
diuinitus patefactæ sapientiæ sua op-
ponat decreta: non tam philosophiæ
vitio fit, quàm hominum prauitate,
vt præstantissimum donum Dei ipsis
cedat exitio.

Habuit vero Paulus admonen-
di causam (reliquum est enim, vt ne-
cessarios philosophiæ vsus cæteros at-
tingam)

tingam) habuit igitur causam monendi: ne quis vos depraedetur per philosophiam deceptione inani. Neque vero vetat Paulus discere philosophiam, eaque uti: Nam qui alibi scribit, omnem creaturam Dei bonam esse, & usum eius sanctificari per fidem: quo pacto malum diceret & damnandum nobilissimum lumen rectae rationis, quod ipse Deus in creatione mentibus humanis implantavit? Sed ita uti philosophia iubet, ne abutamur hac sapientia, seu detrahendo veritati doctrinae caelestis, seu ad normam rationis eandem exigendo.

Nec necesse est quaerere, qui fiat cum lux rectae rationis sit pars sapientiae divinae communicata homini in creatione, ut penè è diametro repugnet sapientiae in Evangelio patefactae. Neque vero legem irritam facimus per
fidem

fidem : Sed hac depravatione naturæ
& tristi cœcitate mentis humanæ, in-
quit Apostolus, quando studys sapi-
entiæ excolendæ non potuit hoc conse-
qui mundus, vt Deum rectè agnosce-
ret, quæ vera & diuina sapientia pu-
tanda est : visum est Deo stulta præ-
dicatione & rationi absurda saluos
facere credentes. Nequaquam ve-
ro sapientiæ diuinitus patefactæ ad-
uersatrix esset recta ratio, si recta,
sana atq; integra permansisset. Nunc
oppressa tristi caligine, in summis re-
bus hallucinatrix & aduersaria
Deo effecta est : & nisi sanata diuini-
tus, & captiuata in obœdientiam fi-
dei fuerit, cœca fiducia sui deprædatur
seipsam salutari instauratione oblata
in Euangelio.

Ita deprædabantur se & alios
eius ætatis philosophi, qui quòd explo-

F 2 sis

sis sectis cæteris, Platonis atq; Aristotelis philosophiam dextrè interpretantes vtramq; coniungerent, Platonicos se nominabāt: qui odio Christiani nominis idolatricos cultus gentilium Deorum, & illa portentosa opinionum philosophicarum mordicus retinere malebāt, quàm absurda & stultæ concioni Apostolorum accedere: quibus omnis doctrina Ecclesiæ, de lapsu & reparatione generis humani, de Mediatore & promissione Euangelij, de iustitia imputata, doctrina crucis vniuersa, stultitia visa est, & dementiæ plena.

Deprædantur etiam nostræ ætatis ingeniosissimi homines & præstantissimi philosophici in Scholis Italicis atq; alibi: qui inter certamina Ecclesiæ horum temporum, in extremam coniecti profanitatem, ita tractant
hæc

hæc studia, vt religio eis sit, à philo-
sophiæ erroribus ad diuinas literas
aliquando discedere, nè parum Ari-
stotelici videantur: qui ferè Deum &
diuina omnia, nec curant, nec esse cre-
dunt.

Abusi etiam philosophia impiè &
flagitiosè Pelagius, monachi, & scho-
lastici: qui cùm retineant axioma phi-
losophicum: nihil esse vituperandum,
nisi quod $\pi\rho\sigma\alpha\iota\sigma\epsilon\tau\iota\mu\omicron\rho$: naturalia omnia
 $\alpha\delta\iota\alpha\phi\omicron\sigma\alpha$: & tollunt in vniuersum pec-
catum originale: & docent homines
viribus naturalibus satisfacere legi
Dei: fingunt externam obædientiam
quæ est gubernatio discipline, esse
iustitiam coram Deo: deniq; adeò con-
fundunt Euangelium cum philosophia
& doctrina legis, vt haud paulo gra-
uior atq; laudatior illis sit Aristotelis
quàm Pauli autoritas. Abusi sunt

F 3 phi.

philosophia pleriq; heretici: Samosa-
renus vocabulum τὸ λόγος apud Iohan-
nem interpretabatur philosophicè de
voce seu sono evanescente: Sabellius
tres in diuinitate personas, re seu ὕπο-
στάσει confusas, cogitatione distingue-
bat. Quid multa? omnes in Ecclesia
hereses à duplici scaturigine proma-
narunt: quæ sunt, confusio philoso-
phiæ cum doctrina Euangely, seu con-
cinnitas ratione quæsita in articulis
fidei: & superstitio, seu externorum
rituum, quæ Apostolus elementa mun-
di appellat, falsa accommodatio. Ita
utroq; modo lapsa ratio seipsam de-
predata est, intus disputando, & for-
ris, ritus gestuum & operum malè ac-
commodando. Illa prior ratio subtilior
erat, eòq; plus damni dabat.

Sed quemadmodum ratione &
latrones furesq; utuntur ad hominum
pernici-

perniciem: & legislator ad salutem:
ita philosophia tantum abest ut pro-
pter abusus abijcienda sit, ut nulla re
magis obsisti atq; occurrere illis possit,
quàm huius ministerio. Etenim quid
prius aut grauius est in doctrina Eco-
clesiæ quàm diuini sermonis interpretes
Grammatica? quid fortius Dialecti-
ca, quæ efficit Episcopum διδασκάλον
καὶ δωδεκάτηρον ὁρθοτομῆν τὸν λόγον τῆς ἀλη-
θείας: καὶ ἐλέγχει τὰς ἀντιλέγοντας? Quid
potentius dicendi ratione, ut sit idem
in doctrina, exhortatione, consola-
tione potens? Quid dicam de bonis ar-
tibus & philosophia reliqua? nam
doctrina de potentijs animæ & natu-
ra hominis: de natura rerum vniuer-
sa, in qua ita perspicuè lucet præsen-
tia Dei secundum Paulum, penè
ut manibus palpari possit: de mo-
tibus luminum & astrorum, quæ
sunt in signa & in tempora: de spacijs

locorum & situ terræ: de numeris:
his igitur artibus quæ carere po-
test Ecclesia? cùm multa sint capita
doctrinæ Christianæ, & innumera
scripturæ loca, quæ sine his nec dextrè
explicari, nec intelligi satis queant.
Quod idem de illis dicendi artibus ita
manifestum est, vt dubitari non possit.
Quot possent dari exempla grauissi-
morum certaminum ex scriptura, in
quibus vnus verbi interpretatio, aut
declaratio figuræ, aut apta distinctio,
quasi Gordio dissecto nodo magnum
periculum discussisset? Itaq; Christus
commendans Ecclesiæ lectionem scrip-
turæ, non legere tamen iubet, Sed
cum ratione atq; indagatione diligenti
legere, $\omega\gamma\epsilon\gamma\omega\omega\chi\rho$. Etenim nemo vn-
quam impurissimus hæreticus ad euer-
tendam veritatem ita se comparauit,
quin scriptura armatus accederet,
quod ipse princeps Diabolus tentator
Domi-

Domini facere non dubitauit. Sed
vt salutaris sit cognitio, afferet pius
lector cum inuocatione ardenti, eti-
am scrutandi $\omega\eta\ \tau\eta\varsigma\ \xi\epsilon\iota\tau\acute{\alpha}\sigma\epsilon\omega\varsigma$ periti-
am quandam: neq; solum præcepta ha-
rum artium didicerit, sed viderit eti-
am vim atq; vsum, in elaboratis atq;
ingeniosissimis veterum scriptis: quo-
rum lectione politum atq; subactum
ingenium conferre ad sobriam & at-
tentam lectionem librorum sacrorum
permagni refert: vt expendere pon-
dus atq; vim verbi, genus sermonis,
 $\sigma\kappa\acute{o}\pi\omicron\upsilon\varsigma$ autoris, $\acute{\alpha}\nu\acute{\alpha}\gamma\kappa\upsilon\tau\omicron\upsilon\ \lambda\omicron\gamma\omicron\gamma\epsilon\sigma\phi\iota\kappa\eta\tau\omicron\upsilon$, seu
 $\acute{\alpha}\nu\acute{\alpha}\gamma\kappa\alpha\acute{\iota}\alpha\tau\omicron\upsilon\ \tau\acute{\alpha}\xi\iota\mu\omicron\upsilon$, vt loca locis compara-
re, & quasi $\acute{\alpha}\gamma\gamma\upsilon\sigma\omicron\gamma\upsilon\omega\mu\omega\upsilon$ quidam, ge-
nuinos sensus ab adulterinis separare,
deniq; vt discrepantiam omnem amo-
uere, & perpetua quasi harmonia pri-
ma cum medijs atq; extremis connecte-
re nouerit.

Magnum ingenium fuit, incre-
dibilis labor, indefessum studium ve-
terum in scribendo: qui non tanquam
applausus Vesanos suorum hominum
captarent, sed ut qui acerrima to-
tius posteritatis iudicia subirent, ita
ingenij sui monumenta elaborabant.
Alia nostra ratio est, quibus nihil
quam scribere facilius est neque promp-
tius: inter sordidos questus, inter
ambitiosa certamina, inter pocula,
in itineribus, penè in somnis, ^{ut}
^{ep. dicitur} quicquid fortè in men-
tem venit, continuò exeat necesse est:
adeo scripturiunt, ut singula sua co-
gitata atque opinata, singula esse ora-
cula putent. Itaque isti centones,
quibus ita confertæ atque stipatæ Bi-
bliothecæ sunt, ut optimis veterum
monumentis locus non sit reliquus,
mirabor si tanquam fugaces fru-
ctus, & informes partus, etatem
se

ferent. Atqui illa ferunt atq; fe-
rent, quæ sobriè cogitata, & crastini
diei iudicio limata, et tempore multo
maturata, nonnumq; in annum pressa,
in lucem prodire. Isocrates panegy-
ricum suum, vt qui minimum tempus
annotantes prodiderunt, integrum de-
cennium componendo consumpsit. Pla-
to dialogos suos recognoscere & re-
fingere non destitit, ad octuagesi-
mum vsq; ætatis annum: quo scribens
mortuus esse fertur. Demosthenem
sculpta se dicturum potius, quàm
scripta, professus est, si posset: quanto
cautior nobis, qui sculptis metallo ty-
pis ad scribendum leuissimè abutimur.
Itaq; hi viri sæpe abdita atq; la-
tentia animi sensa in scriptis suis,
quasi thesauros pressere: quemadmo-
dum Salomon inquit: Verba Viri
aquæ profundæ: quæ nimirum non
ferè minori studio atq; ingenio lecto-
ris

ris prorui oportet, quàm sunt condita.
Enimvero quæ repente placuerunt,
displicere & contemni etiam multò
celerius solent: Optima quæq; scri-
pta hoc habent proprium, ut prima
fronte fere contemnantur & sorde-
ant: iterum atq; iterum visa nitescant
& placeant, nec unquam post accedas,
quin inde abeas doctior.

Hac consuetudine lectionis eru-
ditæ, secundum religiosam pietatem,
acui atq; informari iudicium oportere
ait, ut dextrè, ut sincerè, ut sobriè
versari in lectione sacrorum volumi-
num possis. Enimvero non & humani
ingenij monumenta lectorem requi-
runt acutum & doctum: & diuina
literæ sine doctrina, sine mente atq;
usu evolui queunt. In quibus inde vsq;
ab initio loquitur summus orator δ λόγ
vos, Spiritu sancto formante atq;
regente corda & linguas sanctorum
Dei

Dei hominum: in quibus quanta rerum maiestas est? orationis ubertas? luminum, imaginum, omnis generis ornamentorum diuinitas? in quibus quoties ingenio freta inscitia, impune licentius grassari ausa est, inq; sono verborum non satis intellecto, suarum opinionum laruas arripere, toties damna & clades atroces datae sunt. Etenim gemmas, aurum atq; metalla, non nisi peritis artificibus tractanda damus: & minimarum in vita rerum artificia quaedam sunt: in sacris codicibus, & caelestibus mysterijs, indocti doctiq;, pueri senes, Viri mulieres, nihil non audemus, comminiscimur, & posse videmur.

Mirum ni tu mihi hic prophetas ex pastorum genere, & apostolos obijcias, à nassa piscatoria ad suggestum profectos: atqui hi cum singulari spiritus Sancti dono illustrandi essent, tamen

tamen toto quadriennio prius in summi magistri schola commorati sunt. Atqui talis ^{ἔτασθε} nobis Paulus fuit, vas illud electum: quem in omni genere autorum & disciplinarum liberalium præclarè versatum accepimus. Quanto is ingenio scrutatur & examinat dictum in Genesi: Credidit Abraham Deo: vt innumera eiusdem Apostoli taceam, cum in epistolis cæteris, tum in ea quæ est ad Ebræos. Talis porro Apollos ille, ^{ὁ ἦν λόγιος, δυνάτος ἐν ταῖς γραφαῖς}. Talis Stephanus, & plurimi alij, in Ecclesia primitiua, ^{ἀσκηταὶ} appellati, de quibus est apud Eusebium & Philonem, totos dies intenti lectioni, vt in scripturæ vocibus tanquam corpore, animam scriptorum, ^{τὸν ἐναποκειμένον ταῖς λέξεσιν ἀόρατον νοῦν} contemplarentur. Tales & ij quorum scripta extant ad nostram ætatem: Iustinus cognomento Martyr

Martyr et philosophus: Basilius Mag-
nus, Nazianzenus, ab excellentia
Theologus dictus: ex latinis Cypria-
nus, Augustinus, Hieronymus Stri-
donensis, Hilarius, infiniti alij, Viri
eloquentissimi pariter, omniumq; disci-
plinarum humaniorum peritissimi: qui
philosophiæ sanioris instructi armis,
ethnicorū idola, & Iudeorum blasphemias,
et pseudophilosophiæ eius tempo-
ris atq; cæterarum hereseon portenta
atq; furores feliciter expugnarūt: quos,
sicut Medicos peritos ægrorū corporū
copia facere solet, ita theologos præ-
stantes certamina cum istis hominibus
assidua effecere: qui etiam cum res
notas dicunt, habent tamen nescio
quid canorum & graue, & vim ser-
monis admirabilem, non solum ad de-
lectandum, sed etiam permouendum.

Quare, amate adolescentes, (vobis
cum enim mihi res est, quibus curæ
esse

esse debet, ut discendi studio atq; fide
hanc lucem doctrinae, quasi facem cur-
riculo traditam, conseruetis & vo-
bis, & posteris) amate igitur doctri-
nam, & per omnes artes vitæ necessa-
rias, via vestigijs trita maiorum, ad
solidam eruditionis laudem contendi-
te. Nolite existimare, quemadmodum
est in fabulis, Mineruam sapientiae
Deam è Iouis capite repente natam cū
armis profilyssse, ita præstantem illam
sapientiam subito contingere posse fe-
licium liberis, sine multi temporis stu-
dio, sine serua & assidua contentione
laboris. Nolite temerè applaudere
prodigiosis vocibus eorum, qui con-
temptu philosophiae, seu ius licentiae
querunt, seu prætextum ignaviae.
Nolite credere, hoc modo diutius aut
sine detrimento insigni Rempub: aut
sine corruptelis doctrinam Ecclesiae
futuram, optimarū artium philosophiae
desti-

destitutam praesidio. Quid est enim
aliud philosophia, nisi liberalis animi
cultus ad humanitatem? & recta iu-
dicii informatio ad veritatem? Ut sa-
no atq; perspicaci oculo mentis aspiciamus
res veras, & via atq; ratione eas
mus per easdem, in omni usu vitae: ut
fiduciam ingenij cunctatione refrenata,
& domitos disciplina impetus
atq; cupiditates animi teneamus. Qui-
bus veluti metis sublatis, demptisq; re-
pagulis, quid non audebit potestatem
nacta inscitia? quid non miscebit, atq;
turbabit, hominum imperitorum con-
fidentia? Etenim non frustra conque-
ritur D. Petrus, de ijs quos nominat
ἀμαθεῖς καὶ ἄσκητοι, hoc est, interpre-
tes scripturae indoctos & male sultos
institutione doctrinae, eoque instabiles:
qui quae δυσνόητα sunt in sacris literis,
σεβλάστοι, hoc est, adhibitis quasi tor-
mentis trahunt, versantque, & ea co-
gunt

gunt sonare atq; loqui videri, ex quibus ipsi sensus exculpant ad placitum. Magno cum malo suo hoc iam olim Ecclesia experta est. Taceo horrendas illas tenebras ex recenti memoria papatus: & nulla re magis quam ruditate monachorum fundata & constabilita idola. Etenim sicut nocturna caligine scelera omnia: ita inscitiae tenebris errores occultandi sunt; ut inuoluti tectiq; lateant. In veteri historia, quid Nestorium aliud induxit in fraudem, hominem audacem & facundia fretum, quam doctrinae contemptus, & eruditae antiquitatis praeseipso sprete autoritas? De Eunomio scribunt, Arianæ impietatis patrono, sophistam fuisse, artium bonarum rudem, abundantem verborum: itaq; septem librorum tam verboso commentario unius Epistolæ ad Romanos scopum

scopum assequi non potuisse. Cui Epistolæ quantum nostra ætate lumen illatum est, erudita & technica interpretatione eius Viri, qui primus bonarum artium & doctrinæ lucem in has terras intulit, & ad cœlestis doctrinæ renascentem fulgorem adiunxit. Enimvero hæc sana atq; sobria philosophia est, quæ linguarum atq; artium illud instrumentū, & tersum doctrinæ iudicium, & politum usu, adhibet ad cœlestis philosophiæ illustrationem atq; culturam.

Hoc tam insigne Dei donum, & tam necessarium, quo ore homo sanus tandem vituperabit? Neq; vero hoc artis est, artem contemnere. Vulgo faciunt, indoctissimi quiq; homines insulsi & barbari: neq; aliud certius est vesanæ mentis & fanaticæ indicium. Atqui non

G 2 philoso-

philosophiam nunquam vidisse, sed
philosophia rectè uti potuisse laudand-
um est. Quare contemnite imperia-
tiam hominum, qui quod ignorant,
damnant: & quod non intelligunt vi-
tuperant. Agnoscite vero, & mag-
nifacite ingens beneficium, Dei, qui
bonitate & misericordia inenarrabili
extremis mundi temporibus hanc lu-
cem omnibus artibus & doctrinis,
vna cum beata luce doctrinae caelestis
restituit. Equidem puer admodum
memini me audire bonos senes, qui istius
seculi infelicitate, non dicam ver-
sati, sed sagitati probe in literis fue-
rant, cum hoc nomine beatos nos præ-
dicarent, & repuerascere optarent,
ut frui nobis cum possent hoc tanto bo-
no. Sed enim vero, ne quod partis re-
bus accidere solet, ipsa fruendi as-
suetudine, & prodiga nostri seculi
ignavia hoc quasi patrimonium do-
ctrinae

Etrinae nobis opinione citius vilescat
atq; diffluat : operæpretium fuerit,
memoriam huiusce rei subinde reno-
uari ad posteros, & aditus omnes præ-
cludi ignaviae atq; licentiae tanquam
luxuriantium ingeniorū: ne aliquando
magnitudinem eius boni carendo dis-
camus iterum, quam fruendo neglexi-
mus. Etenim quæ vnquam ma-
ior rerum commutatio fuit? fuimus
barbari, ita quidem, vt Celtarum hoc
nomen, quod maioribus nostris com-
mune fuit, non iam gentis, sed barba-
riae habitum fuerit: at hic nunc sedes
est & domicilium humanitatis. Fui-
mus ethnici & idolatrae: at nunc Ec-
clesiae ciues. Tristi seruitute atq; tyran-
nide Pontificia oppressi fuimus: at
hic se primū libertas extulit, hinc in
orbem pene omnem dimanauit. Quam
misera barbaries fuit, & tristis cœci-
tas memoria auorum: de qua audien-

tes nunc ex alijs miramur, & vix
credimus. Sed misertus nostri Deus,
excitavit Viros dotibus ingenij do-
ctrina, fide & meritis præstantes, qui-
bus unum hoc fuit propositum, quod
& successum Deo largiente præstite-
runt, ut nitorem suum bonis literis,
& libertatem Ecclesijs restituerent:
quorum incredibili & herculeo labo-
ris tolerantia, & spiritu heroico ex-
pugnatum est & pene pessundatum to-
tum illud regnum idolatriæ pontificiæ,
& effractus carcer, perrupta clau-
stra tristissimæ servitutis: repurgatum
illud Augiæ stabulum, theologiam dia-
co scholasticam, ex philosophia ethnica
& Evangelij malè intellecta doctrina
confusam: in omnibus artibus & disci-
plinis aperta via: erutæ ex labyrinthis
mirificarum disputationum res va-
tiles & necessariae, eaq; magno iudicio
divina & inimitabili cum dexteritate
explia

ix
is,
o
ui-
od
te-
is,
t:
o-
x-
o-
e,
u-
m
di-
ca
na
ia
m-
v-
io
te
ia

explicationis, quasi in optimo lumine
collocatae: monstratus verus philoso-
phiae usus in doctrina Ecclesiae, in vi-
ta civili & moribus: denique tradita
vna, simplex & perspicua formula do-
ctrinae Christianae, & facta $\sigma\omega\mu\alpha\tau\omicron\varsigma$
 $\pi\omicron\iota\eta\sigma\iota\varsigma$, ex autoritate & consensu per-
petuo scripturae, & testimonijs seu
confessionibus purioris & orthodoxae
antiquitatis.

Quid potest cogitari amplius, aut
optari maius? Sed nescio quo pacto
fieri videmus, ut tum minime grati
homines, aut memores reperiantur,
cum beneficijs Dei praestantissimis cu-
mulatè obruuntur. Quod de Israeliti-
tarum exemplo intelligere licet in de-
serto: quibus aliàs ambitio molesta
fuit, emulatione duorum ducum, ali-
às nausea caelestis cibi, & Aegypti de-
siderium, Quorum ab imagine quan-

G 4 tum

tum nos absimus, non facile est dicere,
res docet. Primum in discentium cœ-
tu seu turba, quis ferè est, hac luce do-
ctrinarum, qui non ignavia præsidi-
um potius, quàm solertiæ adminicu-
lum se adeptum putet? Nam de do-
ctrina quid dicam? paulatim alia ex
alijs displicere, sordere, parum proba-
ri, licentius iam censoria virgula no-
tari, deniq; ex fundamentis conuelli &
subrui tam optimè traditam, & re-
ctissimè constitutam doctrinæ formu-
lam: quæ eo modo & suspecta iam
imbecillioribus esse cœpit, & contemp-
tui securis, & ludibrio prophanis,
deniq; derisioni & amarissimis sannis
exposita hostium, & pontificiorum ca-
num. Quid igitur retulit, doctrinæ
cultu, religione fideq; recta atq; expli-
cata, Ecclesiæ veræ honore atq; titulo
gaudere atq; vti: si sumus & moribus
barbari, & prophanitate ethnici, &
imma-

immanitate odiorum atq; tyrannidis
plus quàm pontificia? quid aliud agi-
mus, nisi vt spoliemus nos ipsos hac
tanta bonitate diuina, & in perniciem
pristinam quamprimum reuoluamus?
Interim mancipata cupiditatibus &
quæstui maxima multitudo, nihil iam
miratur nisi magnas opes: cui nihil
sapit, nisi quod palato sapit: fatua ve-
ro & insulsa ista studia famelica, ni-
mirum, quæ vix sali culinario suffici-
ant. His iniurijs, & hoc contemptu
restinguitur discendi ardor in optimis
ingenijs: accedunt pœnarum publi-
cæ plagæ, difficultates annonæ, onera
exactionum, sterilitates, iacturæ,
damna domestica, αὐτοχρηῆς ἐθνῶν καὶ ἀπο-
σία, terrores contagiorum, armorum.
Istis quasi procellis agitatæ Ecclesiæ
duriter quassantur, & fluctuant sine
gubernatore, Scholæ dissipantur, ia-
cent bonæ artes, malis florentibus,

Ἐπεὶ τὰ χειρίονα νικᾷ. Quantum vero
hinc noxiæ & damnorum scaturire
putatis, in futurum? Quemadmodum
enim in eclipsibus, ad breue tempus
vsura luminis cœlestis destitutus ele-
mentaris orbis, tam diuturna & atro-
cia damna dat: ita si vel paucorum
annorum in Scholis solitudo sit, quan-
tum noceri putatis Reipub. interrup-
tis & auersis studijs iuuentutis? Il-
lam mihi nunc facultatem dicendi op-
tem dari, quàm hac infantia mea fin-
gere animo facilius, quàm re præ-
stare possum, vt ex animi mei sensu
tentia, & dolore querar. Dicit enim
verbis non potest, quantò hic plus
mali sit, quàm illic boni: atq; vt qui-
bus beatissimis esse liceat, beneficio
diuino, nostra iam culpa sumus miser-
rimi. Quanquam quid attinet ver-
borum plus facere nemini profutu-
rum, & frustra publicæ hominum ve-
cordiæ

cordiæ in communi omnium culpa ex-
probrantem? Desine corda hominum
flecti sperare monendo. Omnium ma-
lorum maximum est, quod nostram
ætatem urget imprimis, hominum in
ipsis malis atq; pœnis ^{αυαρία} & fu-
ror. Verè enim nec morbos iam nostros
amplius, nec medicinam pati possumus.
Sed liceat interim nobis deplorare no-
stri temporis fatū, quando hoc pene so-
lum licet. Quodq; in extremis atq; despe-
ratis malis Medici solent, idem nos fa-
ciamus, ad vota atq; preces pias vt con-
uertamur, & commendemus supplices
eterno filio Dei salutem Ecclesiæ suæ,
& nostræ. Interim hunc sanioris phi-
losophiæ thesaurum & pulcherrimam
istam quasi ^{δωροδοξία} doctrinæ cœlestis
suo quisq; loco colere, tueri, conseruare
nobis & posteris studebimus: & ra-
piemus quasi ex naufragio, ex flamma,
huius tanti boni vsuram: quæ quanquā
omni.

omni tempore apta grataq̄ est, tamen
mæsto & difficili statu rerum hoc iu-
cundior, quòd auocando & quasi se-
ducendo à curis animum, non sinit
assiduo conspectu miseriæ contabesce-
re. Nam hanc quoq̄ vim philosophiæ
tribuebant illi sapientes, vt secundis
rebus ornamentum, aduersis & tristi-
bus solatium atq̄ præsidium hinc se pe-
tere dicerent. Etsi fragile quidem
& imbecillum hoc illis præsidium fuit.
Nos vero fruamur sane cognitione
liberali, atq̄ vtili: consolationibus
autem veris & solidis muniamus nos
ex doctrina propria Ecclesiæ: ac futu-
ri temporis exitum, quem nec metiri
animo, nec præstare prudentia huma-
na possumus, commendemus Deo, sal-
uatori omnium hominum, præcipuè fi-
delium.

TE igitur Fili Dei, Domine
Iesu, Christe Verbum & imago sub-
stantiæ

stantialis æterni patris tui, qui inde
vsq; ab initio apud patrem media-
tor & supplex es, atq; deprecator
pro Ecclesia tua: & ideo certo tem-
pore venisti in carnem nostram, vt
nos tanquam ouiculas de tuis hume-
ris pendentes gereres & sustentares:
qui semper affuisti Ecclesiæ tuæ, &
promisisti te affuturum nobis vsq; ad
consummationem seculi, nec relictu-
rum nos orphanos: te supplices ora-
mus, miserere nostri, qui sine te verè
sumus orphani, orbi omni spe atq; fidu-
cia auxiliij humani: mirifica verè no-
bis miserationes tuas, & serua cum
extremis luctantē difficultatibus Ec-
clesiam tuam, & nos in ea vsq; ad fi-
nem Mundi: aufer horribilia scanda-
la, & sana vulnera mæstæ Ecclesiæ:
restituē & conserua in his terris, &
in hac Schola, studia doctrinarum,
necessa

necessaria Ecclesie & communi vi-
tae, vna cum incorrupta voce doctri-
nae caelestis, & vera agnitione tui: col-
lige & restaura reliquias & rudera
miseriae huius Saeculae, & vt recte eru-
diri deinceps quoque possit iuventus,
concede pacem & tranquillitatem his
terrīs, & felicem ac salutarem guber-
nationem magistratui nostro: mitiga
nobis huius extremi saeculi mundi dif-
ficultates & miseras fatales, & tri-
stes poenas, quas iusto iudicio tuo su-
stinemus: auerte & effunde horribi-
lem iram tuam in blasphemos hostes
tuos, & protege nos sperantes in la-
tibulo alarum, & tanquam umbra-
culo misericordiae tuae. Etenim ini-
quitates nostrae sicut venti dissipave-
runt nos: misericordia vero Domi-
ni, quod non consumpti sumus. Sed
te oramus, propter gloriam sanctissimi
mi

mi nominis tui, & quia inuocatum
est super nos nomen tuum, relinque ti-
bi perpetuò inter nos semen sanctum,
à quo tu rectè agnoscaris, inuoceris &
celebreris, ne fiamus sicut Sodoma:
vt perditì merito nostro, boni-
tate & misericordia tua
uiuamus, Amen.

DIXI.



QVÆ.

QVÆSTIO PROPOSITA

à

M. GEORGIO BVSIN-
go Munderensi.



Vm perantiqua Aeademiæ
consuetudo, & grauiſſima
præceptorum autoritas, has
mihî partes dicendi impo-
nant, & in clariffimo hoc
theatro, complurium, qui producti
sunt, personam vnus sustinere cogar:
non vtar mei purgandi caussa præfa-
tione proluxa. Loquitur enim pro me
necessaria officij ratio: vt non minor
in parendo, quàm tergiuersando, mo-
destiæ laus ponenda videatur. Sed à
vobis petam, auditores ornatiffimi, vt
qui auscultando iam dudum defatigati
estis, de integro audientiam, quam nul-
la re ipse mereri possum, vos equanimi-
tate vestra, & fauore moris nostri, vobis
faciatis. Equidem operam dabo, vt
verecun-

verecundiam in dicendo re ipsa & ora-
tionis simplicitate ac breuitate retine-
am potius, quàm verbo profitear. De-
lector autem illa ratione συζητήσεως, qua
per hosce dies aliquot vsi sumus: & ad
dicendum productus, discendi causa
quæstionem proponere malo: quòd
consuetis vocibus præceptorum, quàm
sermone meo scholam erudiri præstat.
Ac audienti mihi commemorationem
prolixam de vsibus philosophiæ, in
mentem venit, de alio quodam vsu
eiusdem, de quo aliqui philosopho-
rum, Epicurei inprimis, magnificè præ-
dicarunt. Dicere solebat Epicurus,
ideo se colere philosophiam, quòd ea
duobus sæuissimis tyrannis vitam ho-
minum liberaret, spe atque metu. Om-
nia enim fieri affirmat fortuito: &
quo pacto quæq; fiant, rationem red-
dere potest. Hinc illud est Poetæ latini:
His tibi tum rebus timefactæ religiones
Effugiunt animo pavidæ, mortisq; timores,
Tum uacuum pectus relinquunt, curaq; solutum.
Nimirum quæcunque in hoc vniuerso
mirificè atque stupendum in modum

H fieri

fieri videntur: eorum causas & modum inuenit philosophia. Ita fit, ut quarum rerum, propter naturæ ignorantionē, formidabilis vulgo aspectus est, in ipsa ratione patefcente, vnā cum admiratione merus omnis diffugiat & euanescat. Quemadmodum humanæ artis opera quædam, & machinæ terrificæ aspectu sunt: quarum si penitus introspecta structura sit, admirationi esse desinant, & facilimè contemni possint:

Seu ueluti pueri trepidant, atq; omnia cæcis

In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus

Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quàm

Quæ pueri in tenebris pauitant, finguntq; futura.

Hæc ita dicuntur speciosè, ut non displicuerint etiam alijs, melioris sectæ atq; notæ philosophis. Vnde illa Senecæ sententiâ extitit vulgo celebrata: ignorantem philosophiâ multa parere miracula. Itaq; hac quasi *δεξαπείρα* aliqui vsi fuere ad auertendos prodigiorum terrores. Adducebatur ex prædijs Periclis aries, vnico in fronte cornu: iudicabat vates, portendi isti viro dominam

minatam in ciuitate, & diuisam ad id
tempus potestatem duorum, in vnum
conflatam: at Anaxagoras physicus
expectationem prodigij statim discussit
sit aperta caussa, ex inusitata cerebri
specie, oui in modum conflata & con-
fusa. In castris Romanis, bello Mace-
donico secundo, C. Sulpitius Gallus,
productus à Consule in concionem
militarem, pronunciauit, nocte proxi-
ma, ne quis id pro portento acciperet,
ab hora secunda vsq; ad quartam ho-
ram noctis lunam defecturam esse: id
quia naturali ordine statis temporibus
fiat, & sciri antè & prædici posse: itaq;
neminem id mirari, aut trahere in pro-
digium debere. Complura huiusmodi
exempla dici possent, in quibus placan-
do terrori prodigiorum ex philosophia
fuerunt accersita remedia.

Quanta cum consternatione animo-
rum vidimus nuper dirum in aere in-
cendiū cometæ, specie formidabili, ma-
gnitudine incredibili; qui orientem ver-
sus sparsa & diffusa cauda, & modicè

inflexa in extremo atq; deorsum obli-
quata, integri ferè signi spacium occu-
pauit. Nemo fuit ita supinus aut ferre-
us, quin sollicitè atq; anxie cogitaret &
quæreret, quid & qualenam illud spe-
ctaculum foret, vnde existeret, ecquid
significaret, sitne ratio aliqua talis, qua
contemni possit, aut minus saltem me-
tui. Ac solent ferè hæc & huiusmodi
quærere homines ineruditi de nobis,
qui in his studijs versamur. Quamob-
rem faciendum putavi in præsentia, vt
discendi occasionem talem nactus, vos
ces & sententias ea de re doctiorum eli-
cerem.

Mitto nunc illa, de quibus sæpe
quæsitum aliàs est: quid sit Cometa,
stella an halitus ardens: an significet:
quid significet: & an operæpretium sit
at, in significationes huiusmodi signo-
rum cœli inquirendo. Metuo enim,
ne huic festiuitati nostræ idem accidat,
quod de pontificalibus cœnis dictum
fuit olim, eas longitudinis fastidio la-
borare. De illo quæro quid sit sentien-
dum

dum, quod communi ferè opinione
omnium obtinuit, nullum vnquam
cometen boni aliquid portendisse, aut
sicut in versu poetæ est, terris impune
spectatum. An igitur hoc vniuersale
& perpetuum putandum est? quem
admodum in παροιμία græca τὸ ἀκροτε-
λεύτιον dempta obscenitate compleuit
vir clarissimus:

ὅστις ἐκ κακῶν φέρει.

Nullus cometa qui malum non afferat.

Enimvero occulto quodam na-
turæ instinctu fieri videtur in homini-
bus, vt inusitata & mirifica huiusmodi
visa mali aliquid videantur præfagire,
in quibus sinistrum & triste animi augurium
rapiantur. Belli Peloponnesiaci inis-
tio, cum exercitum instructissimum
classi imponeret Pericles, & iam iam
nauem scansurus ipse esset, accidit
deliquio Solis subitas fieri tenebras:
perculsi ilico militum animi: omnes pa-
uere, funestum aliquid sibi toti-
quæ ominari: quos Pericles, homo per-

ritus astrorum, erigere conatus est,
ostensa naturali causa: ut persuaderet,
non magis hoc formidolosum aut omi-
nosum putandum, Solem à Luna tegi,
quàm naucleri faciem paludamento ob-
ducto velari: nec quicquam ab homi-
nis oculo Mundi oculum differre. Sed
non tam facile fuit Pericli, terrorem in-
cussum nauclero eximere, quàm Gallo
aliquot seculis post fuit, prædicendo
anteuertere. Etenim ficto vultu, quasi
pallio, tegere timorem licet, reijcere ex
animo, quem intimus naturæ sensus in-
uisit, non licet.

Necq; vero difficile fuerit causam red-
dere, vnde sit in hominib. naturalis huius-
modi pavor. Sua, n. quæq; conscien-
tia coarguit & deijcit, proposito cœlitus
signo, extra cōmunem naturæ cursum,
tanquam teste & præcone iudicij diuini:
Quemadmodum pueri pauent, fer-
rula ad parietem fixa: Aut quemad-
modum primi parentes, consternati ad
sonitum auræ diei, agnoscunt ilico præ-
sentiam Dei, & conspectum eius trepi-
di refugium. Crebræ sunt in Psalmis
descri-

descriptiones eiusmodi, in quibus &
 vehiculum Dei nominentur, vehementes
 flatus ventorum; & tonitrua atque
 fulgura, vox atque commotio irascen-
 tis; & tabernaculum eiusdem dense atque
 nubes, quasi inclinato caelo descenden-
 tis in magnis tempestatibus, ad terrorem
 impiorum, & innocentium vindictam.
 Quaecumque enim in natura nouitate aut
 vi aliqua terrificata sunt; ea arcano quo-
 dam conscientiae iudicio, in hominibus
 sanis aliquem sensum praesentiae diuinae
 subiiciunt. Quando autem contemptui esse
 coepit exilitas vocis humane, solet Deus
 producere e caelo eos poenitentiae praes-
 cones, qui a nemine contemni possint;
 ut fracta fiducia animi cyclopica, & se-
 curitate excussa, subeat tandem animam
 diuinae ultionis expectatio, & si quid sa-
 nae mentis est in aliquibus, rector vite in-
 stitutio venturis malis quodammodo me-
 deatur & anteuertat. Ex quo illud est,
 quod ait Herodotus: grauius poenis
 impendentibus, prodigia aliqua diuina
 praemitti solere: φιλέει ἡ κωε προσημαί.
 ναυ. εὐτ' ἄρ μέλαι μεγάλα κακὰ ἢ πόλι, ἢ ἐθνῶν
 ἴσθαι.
 H 4 Appae

Apparet igitur vnde sit naturalis illa trepidatio, & sinistri ominis interpretatio, in spectaculis huiusmodi inusitatis. In Cometis autem accedit alia etiam physica ratio. Constat incendia esse halituum viscosorum, incredibili mole congesta & conglobata in aere; absumta igitur humiditate aeris, nimirum necesse fuerit grauiores estus & squalores sequi, & dissipatis siccis halituum reliquijs, quasi cineribus aut fumis ventos atque terrae motus existere; aerem ipsum infici; corpora etiam nostra eius contactu affici, atque exicari; aucto & corrupto bilioso humore, animos hominum irritabiles fieri; hinc nasci bella, seditiones, caedes, *Magnorum et clades populorum, & funera regum.* Haec nimirum talia sunt, quibus nemo laetetur, nisi mentis vitaeque profligata homo.

Hoc ab effectu ductum est; a causa efficienti illud; deprehensum est infausto positu aut congressu siderum errantium & maleficorum inprimis, afflictis praesertim

sertim luminibus, & deficientibus forte in signis infauſtis, ita fieri, vt eleuatae in aerem ſupremum exhalationes ſiccae, confertim confluant, inq̃ illa coeleſti vi retenti & conglobati haereant, & denſati lentefcant: donec ſeu motu aeris, ſeu eadem vi maligna ſtellarum, ſeu vicinitate etiam radiorum Solis, à quo pleriq̃ non plus ſigno, ſeu vt in Censiloquio eſt, vndecim ſignorum ſpacio ſub initia abeſſe ſolent, flammam conſcipiant. Quare ab infelici cauſſa qui tandem effectus melior ſperari poterit.

Accedit & teſtis experientia: quam ſecutus Ptolemaeus in πεπραβίβλω pronunciat, cometas ſimilia naturae Martis & Mercurij efficere ſolere: quorum alter flatus & procellas ventorum, veteratorias & perfidas machinationes, & conſilia callida: alter aëſtū & ſqualores, bella item, ſeditiones & tumultus dæcernit. Quibus conſentanea etiam ab Homero dicuntur: 4. Ἰλιάδ.

οἶορ δ' ἀσέρα ἦκε κρόνυ παῖε ἀγκυλομήτεω,
H 5 ἦ ναύρ

ἢ ναύτησι τέρας, ἢ ἑστραζοῦ ἐυρεῖ λαῶν,
λαμπρόν, τὸ δ' ἔτε πολλοὶ ἄπο ὠινδῶρες ἴεντες
Siue enim de illis quæ διάττοντες appel-
lantur, locum interpretemur, siue de
cometis, in vtrisque eadem ferè ratio est:
certè scintillarum proiecctio comæ tra-
ctum notare videtur. Naufragia igitur
& bella à cometis portendi ait, quæ
sunt illarum, quas nominauimus, stella-
rum ἰδιωματικὰ ἀποτελίσματα. Ac di-
gna admiratione consensio est: quæ in
antiquissimo Poeta experientiaē vni-
uersali hac in parte testimonium perhi-
bet. Vnde suspicari licet, etiam ab alijs
ferè gentibus hoc factitatum, quod de
Aegyptijs scribit Herodotus in Euter-
pe: prodigia, quæ apparuissent, anno-
tare solitos in annalibus, & obseruare
τὸ ἀποθεῖνον exempli causa, si quid post
simile aliquando appareret. Qua ratio-
ne nostro etiam tempore laude digna
eorum industria est, qui catalogos co-
metarum locupletes ex historijs dede-
runt. Quare monstrante ratione, teste
experientia, suggerente & admonente
natura ipsa, ita prorsus statuendum ar-
bitror,

bitror, nihil ab huiusmodi ostentis ex-
pectandum esse boni: & turpiter olim
sibi atq; alijs blandientes, imposuisse,
qui de fausto quodam genere cometa-
rum quippiam sunt opinati.

Plinius de sidere crinito, quod Iudis
Veneris genetricis Romæ apparuit, sa-
lutare terris hoc fuisse pronunciat. Sed
quàm salutare? oppressa libertate pa-
trię, dominatu Augusti, quanquam ille
salutaris ad tempus fuit, non sine multo
sanguine ciuili constituto.

Seneca etiã foedè labitur adulandi
studio, dum & Domino admirationem
populi, & sibi ipsius gratiam conciliare
studet: ait lætissimo omine visum co-
meten Neronis principatu: qui quidem
hoc vno modo salutaris potuisset habe-
ri, si statim exitũ tyranno portendisset.

Illud grauius est, quod scribit, in cen-
tiloquijs Ptolemæus, siue Arabicus ei
libro autor est: benè habitura, quę sunt
thesaurorũ regis, si in succedente cardis-
ni loco cometa conspectus fuerit. Boni
enim certè aliquid cometę attribuit. Sed
facilis

facilis & prompta responsio est, ex eo quod ibidem statim additur: quòd præfectum suum thesauri mutabunt. Videlicet minus comparatione hoc malū est, quàm si regi ipsi significasset: neque bonum simpliciter, sed malum certè quodammodo.

Atqui Arabes etiam beneficis stellis Ioui atque Veneri suum quoddam genus Cometarum assignant: qui & colore atque specie minus infausta sint, & boni etiā aliquid, fœcunditatem nimirum terræ & copiam prouentuum significant. Etiam Plinij secundi quædam verba, in eandem ferè sententiam, Seruius refert, diligentissimus Virgilij interpres: Cometas stellas esse naturales, quæ apparent certis temporibus: eos fieri de planetis quinque: vnde interdum bona, interdum pessima significare: nam si de Venere aut Ioue fiant, optima pronunciare, si de Marte aut Saturno, deteriora.

Non audeo discedere ab auctoritate talium virorum, quos constat in
hoc

hoc genere observationum accuratè
diligentes fuisse. Sed habeo tamen
quod respondeam. Fieri enim potest,
vt minus tristes euentus sequantur eos,
quos Iouiales cometas appellant: cum
puriores in his halitus sint, minusq; pe-
stilentés, quorum in collectione atq; in
cendio benigna Iouis stella dominetur.
Fieri etiam potest, vt auctis caloribus
& siccitate æstiuâ, maturatâ alicubi fru-
ges sint, auctâ & percoctâ vix, eaq; re
fertilitas terræ aliqua $\kappa\tau\lambda$ $\sigma\upsilon\mu\beta\epsilon\iota\sigma\iota\mu\omicron\varsigma$ ex-
titerit. Neq; tamen ilico beneficū pro-
fus hoc genus haberi debet, si minus
malorum dederit: neq; ita gubernato-
ris benefici naturam sequitur, vt come-
tæ vim atq; naturam relinquat: Quin
potius quia prodigiosum in aere incen-
dium est, non potest nisi malum per se
portendere.

Manet igitur hic canon, de tristi-
bus omnium cometarū significationis
bus, doctrina & observationibus omni-
um temporum constitutus. Sed de Plin-
ij loco quid respondebimus? ait enim

δ'ιαρ

διὰ τῶν ἀστῶν, cometas, si de Venere & Ioue
frant bona, atq; adeo optima pronun-
ciare. Quanquam in ijs, quæ extant,
Plinianis eum locum non inuenio; ac
fieri potest, vt sententiam Plinij Serui-
us mutatis verbis paulò largius inter-
pretatus sit; adductus interpretatione
Virgilij sui, qui rutilum cometarum ge-
nus & Martium propriè lugubre ap-
pellat, cùm inquit;

‡ liquida cum nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent;
quasi reliquum genus non sit lugubre.
Nos vero hoc concedamus, quod mi-
nus lugubre, vt dictum est. Sed cùm
ipse me non satis explicem, & meher-
cule digna explicatione erudita res vi-
deatur; oro doctissimum virum, vt
de sua sententia me atque
scholam edoceat.

DIXI.

RESPONSIO.



Verissimè dicitur, plenam esse vanissimæ spei, & inanissimum terrorum, vitam humanam, extra Ecclesiam præsertim, destitutam beata luce cœlestis doctrinæ: sine qua prorsus ita viuunt, quemadmodum est apud Poetam: Spemq; metumq; inter dubij. Et alibi apud eundem:

*Namq; ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus nosti &c.* Et verissima Lucretij querela est de seipso:

*Omnis cum in tenebris præsertim uita laboret:
quod ita corrigentes efferemus verius:*

Absq; Deo in tenebris hominum omnis uita laborat.

Sed hinc non efficitur, omnem omnino signorum metum, hominibus præsertim securis & prophanis eximendum, ea ratione, quòd causæ eorum, quæ fiunt in natura, ostendi possint.

Nam primum plurimarum rerum causæ ostendi non satis possunt. Fatetur sapientissimus Socrates se nihil aut parum scis

rum scire. Democritus curiosissimus naturæ indagator ait, veritatem prorsus in profundo esse demersam. Denique ille ipse quem ante nominauimus Poeta (seu illum philosophum potius metricum quis nominandum putet) sibi ipsi contrarius est. Fatetur enim vitam hominum iacere in tenebris: & tamen metui arcendo scientiæ opponit præsidium.

Quare etsi aliquarum in natura rerum causas nosse & scrutari vtile est: omnia tamen nosse hac imbecillitate mentis humanæ impossibile. Et rectè alicubi superbiæ physicos insimulat Cicero, quòd turpe sibi esse putent, sine causa aliquid fieri dicere. Nobis verò in mentem etiam veniat illud Apostoli: μή ὑψηλοφρόνει ἄλλὰ φοβῶ. Deinde si maximè omnia in natura paterent oculis nostris: sicut non dubium est, multa in ea miraculosè fieri videri, quæ causam certam habeant, licet nobis incognitam: tamen ob hoc non desinunt illa efficere & significare aliquid in futurum:

turum : nec causæ animaduersio , vim
atq; rationem adimit prodigiij & signifi-
cationis : quòd causas naturales proximas
ab aliqua potentiore & priore, certa
ratione consilij, gubernari necesse
est. In monstrosi arietis cornu causam
ex cerebri figura exsculpsit Anaxago-
ras : sane ingeniosè : Sed vnde tandem
erat noua cerebri figura ? an fortuito ?
ita prorsus respondebit, nobis, Epicu-
rus. Atqui res docuit, nequaquam il-
lud accidisse fortuitum, sed & signum
ipsum, & signi euentum ab aliqua
prima causa gubernatum. Ita didicit
re ipsa Pericles, Eclipsin Solis propter
Thaletis & Anaxagoræ disciplinam
non esse contemnendam, cuius effe-
ctum paulò post & ipse sensit, & fune-
sto atq; difficili bello tota Græcia ex-
perta est.

Minimè igitur probandi sunt phi-
losophi isti, qui indagacione causa-
rum securitatem & contemptum pro-
digiorum infeminant hominum ani-
mis : atq; abutuntur ad id nomine phi-
loso

lofophiæ: cūm ea timorem potius Dei
augere, & in spem bonam erigere ho-
mines sanos debuerit, consideratio-
ne sapientiæ & iustitiæ conditoris. Ca-
pitalis Epicurus, qui ita metus omnes
contemnere iubet, vt relicto & expulso
Deo, casui omnia permittat in natura,
& cœcitatē mentis suæ vltro conuer-
tat in insaniam. Ne cæteri quidem pro-
bandi, qui inuenta caussa, tollere se
putant miracula ex natura: cūm hæc
ipsa caussarum contemplatio augere
debeat atq; illustrare admirationem sa-
pientiæ conditoris,

Porro, cūm in omni philosophia
naturali multa sunt, vt dixi, obscura:
tūm multo maxime in meteororum
doctrina. Cuius etsi aliqua ratio dili-
gentia maiorum inuenta est atq; tradi-
ta: tamen vix vlla in parte satisfit cu-
riosi indagatoribus. Attamen hoc
quicquid est, nequaquam aspernamur:
vel quia iucundum est cognoscere, vel
quia

quia liberale, & homine dignum, causas
rerum inquirere, vel etiam quia utilitate
ea res non caret. Neque vero ita ac-
cessimus ad societatem Ecclesiae, ut
cognitioni rerum omnium & doctrinae
renunciemus, quasi in ignorantiae or-
dinem transiitione facta. Neque eò
Christiani sumus, ut homines esse des-
sinamus: quos ob hoc ἀλφεισὰς nomina-
uit poeta vetus, qui erecto vultu, in
opificio mundi visibili vestigia opificis
inconspicui quærant. Præsertim cum sit
via strata diligentia maiorum: quorum
inuenta augere inquirendo, & in ijs-
dem vestigijs longius progredi velle,
honestum & laudabile est. Nemo est
ita nanus, quin humeris insistens al-
terius, longius prospiciat. Ita nos cre-
dibile est, quanquam ab ingenio vete-
rum procul absumus, insistentes tamen
illorum obseruatis atque autoritati, pro-
pius aliquanto res veras in natura aspe-
cturos.

Accedo igitur ad questionem tuam, ornatiss: D. Magister: quanquam equidem vellem ab alio explicationem petere potuisses, qui in his studijs magis esset versatus. Mea enim alia ratio est studiorum atque vitæ. Tibi tamen peccanti, officij nomine deesse nolo. De cometis igitur, illud dubitari à sanis atq; pijs hominibus non debet, quin significant. Nam ipse Christus prædicit fore, vt conspiciantur signa in Sole, Luna & stellis: quæ sic spectari iubet, vt velit nos ἀνακύψαι καὶ ἐπᾶραι τὰς κεφαλὰς. Significant igitur haud dubiè. Mitto nunc reliqua argumenta, quæ sunt multò plura. Sed quid significant particulatim explicare astrologorum est: de toto genere quæris, ecquid inde boni sperare liceat: cum quidem instinctu naturæ malè in huiusmodi prodigijs ominari homines soleant. Etsi verum est, in Ecclesia multa id generis signa etiam læta faustaq; extitisse. Quale est Iridis signum in nubibus: de qua itidem Homerus pronunciat, τέρας ἔμαρ μῶνα, ἢ πολέμοιο, ἢ καὶ χερμῶν. ὁ δὲ ὑσάλα περὶ

☉. Atqui in Ecclesia hoc non iræ,
sed gratiæ & pacti diuini signum est.
Ita ea quæ prorsus à naturæ ordine re-
cesserunt, Solis statio aut retrogressio,
stella cōspecta Magis in ortu, tristitia illa
quidē & funesta hostibus signa fuerūt,
Ecclesiæ verò faustissima & secunda.
Fortassis eadem omnium prodigiorum
ratio monstrari & constitui posset: vt
eadem læta tristiaq; pariter alijs atq; alijs
videri possint.

De Cometis sanè rectè colligis,
tristitia & formidolosa perpetuò hæc
visa mortalibus obijci. Quanquam di-
uersum aliquando visum est Plinio at-
que Senecæ: tamen haud dubiè sui ius-
dicij post pœnituit sapientes istos, ex-
perientia edoctos. Et per accidens, sic-
ut dixisti, bonum aliquid quadante-
nus fieri potest, quod sua natura noxi-
um est. Siccitas à Cometis in his terris
non semper sterilitatem efficit, si terra
ante imbribus conuenienter, aut supra
etiam modum humectata fuerit. De
Cometa qui anno Christi 1472. fulsit,
I 3 opinio

opinio fuit, venas metallicas ab eo vberiores natas in oppido Misniae Schneberga. Est enim magna cognatio, & mirificus consensus partium naturae. Constat ab eadem materia sulphurea nasci cometas in sublimi, & metalla visceribus terrae conclusa. Causa etiam effectrix eadem est, occulta vis & ἀπορροή Siderum errantium. Haec igitur per accidens fiunt. Sed in vniuersum & per se malignam cometis naturam esse nemo dubitet. Valet Experientia vniuersalis, quam allegas, tot laudata testimonijs magnorum autorum: Claudiani:

Et nunquam terris spectatum impune cometen.

Virgilij:

Et nunquam diri toties arsere Cometae.

Et Arati memorabilis locus est, quem sic latinè reddidit Philippus noster:

*Fertilis agricolae uotis contingat ut annus,
Nunquam crinitum uideatur in aëre Sidus:
Non unus geminiue micent, pluresue cometae:
Nanq; parit multos tempestas sicca cometas.*

Valet & Physica ratio quam dicis.
Quan

Quamquam controuersia aliqua est inter eruditos etiam nostra ætate, incendia sint, an corpora perpetua. Quam dubitationem meritò confirmat & renouat nouum sidus, ad cassiopæam conspectum ante quinquennium. Sed istius alia prorsus ratio fuit, & à natura cometarum, vel potius ab omni natura diuersa. Pleriq; qui de illo scripserunt artifices, nullam ei παράλλαξιν dant; ideoq; in supremo æthere locum attribuunt. Proinde quando semel in hoc naturæ limites egressi sumus, concedamus sane, nouum illud & mirificum sidus fuisse, diuina voluntate comparatum, ad res magnas generari humano designandas; nec incendio absumptum disparuisse, sed sursum recta subuectum, & ex oculis remotum. Cæterorum cometarum alia ratio est. In eo quem nuper vidimus ingens à nostris obseruata παράλλαξις est, G. 42. M. 10. videlicet cum eleuaretur cometa supra horizontem nostrum 17. gradib., ab occasu verò Aequinoctias

noctiali distaret meridiem versus G.
22, M, 30. Hinc distantia come-
tæ à centro Mundi colligitur, vnus
semidiametri cum dimidia propemo-
dum. Abfuit igitur à superficie terræ
ferè dimidia semidiametro: & quan-
quam in summo aere constitit, tamen
abfuit à concauo Sphæræ lunaris semi-
diametris quinquaginta & vna amplia-
us. Hac obseruatione, vt omittam ar-
gumenta cætera, quæ omnibus nota
sunt, sententia de Cometis Aristotelis-
lica manifestè constabitur.

Præterea de causa atq; ortu Come-
tarum maligno quod dixisti, vnum pro
multis exemplum sufficere potest, hoc
ipsum qd vidimus. Vidimus .n. nuper
eclipses duas lunares interuallo semestri
se consecutas, in cardinibus, quantitate
& aspectu formidabiles. Congressus &
aspectus infausti Planetarum anteces-
serunt plurimi: coniunctio præsertim
Martis, Domini Eclipseos prioris,
cum Ioue qui potens in vtraq; fuerat,
in exa

in extremis partibus virginis, die 25 Septembris. Non ita multò post, à coitu duorum luminum in postremis gradibus Scorpij, signi Martij & venenati, propè eam stellam cuius de natura nomen testatur, quòd ἀντάρης dicitur, cum in vnam cœli plagam omnes erraticæ conuenissent, & malefici duo vtrinque lumina circumstarent, eleuati interim supra beneficos, quos etiam cauda Draconis interueniens affligere nonnihil videretur: tum igitur accenditur cometes, loco inter Saturnum signo pariter & situ potentem, & Mercurium συγκριζοντα, ipsaq; lumina interiecto: qui à nobis quidem conspectus est die Nouemb. decimo, Solis occasum nō longo interuallo sequens: cauda prolixè diffusa, ac quod in alijs ferè similiter obseruatum est, in oppositum à Sole auersa: quod quidem ab Hippocratis Chij opinione, saltem ad caudæ ἐμφασιν quod attinet, καὶ ἀνάκλασιν ὀφείως πρὸς τὸν ἥλιον, non videtur abhorrere.

Patet igitur caussa incendiij vtcunque: atque hinc multo ante quibusdam

dam eorum qui τὸ πρῶτον ἀποφαντικῶς tractant,
de cometa isto aliquid suspicantes præ-
dixerunt. Quid igitur vetat eosdem
de effectibus eius φυσικῶς aliquid sus-
picari; nimirum ex ipsius eclipses, ex
planetæ dominantis, ex signi in quo
conspectus Cometes, & stellarum quibus
vicinus fuit, natura; consentaneum
est enim, cognatam ipsi esse &
cometæ naturam; Præterea motus, fi-
gura, coma seu τῆς κόμης πρόσνευσις illa,
significationem habere physicam possunt;
ostendunt enim in quam partem
mundi congesta materiæ moles quasi
decumbat, & incendium vergat.

Hæc igitur eruditæ rationibus phy-
sicis subnixæ, euentu sæpe comprobata,
à maximis ingenijs tradita, homo sanus
quæ tandem improbabit? Quod si vero
latius sese proferat prædictio, & ἀποφαντικῶς
etiam similem stellarum huic generi tribuat,
equidem non probo. Etsi enim
vicio

vitio materiae, & vi flammæ ea efficere
potest cometa quæ dixisti; tamen astro-
rum efficaciam ei non tribuemus, nisi
quâ eorum à quibus extitit, siderum
sequitur naturam. Itaq; merito δευτε-
ρῆος φέρει τῶν ἀποτελεσμάτων, vt est in
aphorismo Centum sententiarum ante-
penultimo; nimis exquisitæ & primari-
æ prædictiones ab his non sunt peten-
dæ.

Sed hæc astrologica sunt, quæ re-
linquamus sanè artificibus, de sua arte
optimè iudicaturis. De cometis autem
& diritate eorum perpetua, alia quoq;
grauior minimeq; fallax ratio est; quòd
videlicet etiam physicè ex prodigiorum
genere sunt, quorum ea propria vis est,
triste aliquid prædicere hominibus.
Aristotelis regula est; nullum rarum
esse physicum. Ita cometæ & totum
illud genus meteororum quæ rariora
sunt, vt chasmata, vt lancearum con-
flictus in aere, quales superioribus
annis

annis hyemali tempore ad Septentriones aliquoties apparuere, vt parelia, inusitata præsertim specie & varietate colorum, qualia nuper 19. Februarij in hac vicinia conspecta feruntur: hæc igitur & similia, quanquam non fiunt *παρὰ φύσιν* simpliciter, habent enim causas in natura aliquas, non fiunt tamen *κτλ τὴν αἰὲν ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ*, sed *κατὰ φύσιν ἀτακτοτέρας*: sunt ὅβ vt idem Aristoteles pronunciat, *ἀμαρτήματα φύσεως*.

Quærat aliquis vnde sit iste naturæ error, præsertim cùm in cæteris optimus & perpetuus ordo conspiciatur. Taceo fabulas Poetarum, qui hæc naturæ errata in cometarum incendijs, ad Phaetontis transtulerunt errores: qui olim delegatus à sole & tanquã vicarius, motu erratico pene mundum vniuersum flammis absumpserit. Aristoteles causam eius rei refert ad *σέθησιν* illam suam, quam ab æterno materiæ tribuit. Nos scimus naturam vniuersam peccato hominum debilitatam, grauiterquã afflictam: & maledictioni etiã diuinæ obnoxiam factam: sicut dicitur in historia

storia

istoria lapsus primorum parentum : ma-
ledicta terra in opere tuo. Et aliquoties
dicitur in scriptura, terram infici ab ha-
bitatoribus suis. Quid cogitari potest
tristius, quam naturā rerum pollui pec-
cato hominū ? aerem contagione quo-
dammodo infici ? ipsum cœlum ea re
noxium nobis effectum ? Ait Paulus,
omnes creaturas ingemiscere *ἡμεῖς ὁμοῦς*
διὰ τὴν ἐλπίδα, sperantes liberationem à vani-
tatis seruitute. Quin etiam poenæ
quodammodo partem subit : vt cum
magna naturæ pars hominum caussa
corrupta fuit exundatione aquarū di-
luuī, turbata & dissoluta elementorum
inter se proportio, & pene confusa dis-
tinctio. Denique peccatis hominum
paulò post vniuersa mundi machina
conflagrabit, perpurgata per ignem : vt
fiant cœli noui & terra noua, in quibus
inhabitet iustitia, abolito peccato, vnâ
cum diabolis & hominibus malis.
Nunc manet in natura debilitas illa,
quæ inde vsq; à lapsu primorum paren-
tum ei inhæsit : & quemadmodum fit in
agro atque senili corpore, collectione

multa

multa tanquam sentina, eorum quæ vitiosa sunt, vincitur, quibus impediri postea ordinatum eius cursum necesse est.

Quare vt iam finem faciam, admoneant nos hæc prodigia, quibus adeo foecunda hæc ætas est, de labe naturæ, & peccati nostri magnitudine; & perpetuò sonent in auribus nostris concionem illam grauissimam; nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Apparuerunt similia ostenta cometarum etiam olim, cum magnæ mutationes imminerent orbì terrarum, teste omnium temporum historia; Proinde nunc etiam nisi vera pœnitentia conuertimini ad Deum, simile pœnarum diluuium in vos redundabit.

Patet igitur cometæ significatio, palàm faciens de cœlo, & coarguens peccata omnium nostrum; quibus expressa voce diuina in comminationibus prophetarum certæ quædam sunt deter

determinatæ poenæ. Nec est quod
dubitemus, quin malum perpetuò sig-
nificet, hominibus peccato horribiliter
se contaminantibus. Quod si quis
contendat, esse omnino aliquod genus
horum faustum atq; lætum: concedo,
verè pijs, & timentibus Deum. Nam
aliqui horum redeuntes ad poenitentiam,
impetrant poenarum mitigationem
inuocatione ardenti, sicut dicitur, *Vi-*
gilate & orate, vt possitis effugere &c.
Alij iniusta oppressi tyrannide hosti-
um, admonentur interim de iudicio di-
uino & liberatione propinqua: quorū
in auribus τέρτατα ista clara voce testi-
moniū dicunt contra furores Epicuri,
de prouidentia. Atq; hoc modo, quod
ante diximus, aliquib. bono esse potest
id, quod cæteris terrori est, atq; formi-
dini. Hoc modo Christus aspicere ostē-
ta talia iubet, vt velit nos ἀνακρίσει: si-
cut Paulus inquit naturam gementem
ἀποκαταδουλει. Enimvero si quis hærens
voragine paludosa, aquis insurgētib. ad
mentum

mentum vsq; & modo non ad animam
intransibis, velum fortè è longinquo
emicans aspiciat, nauiculæ aduentantis,
& cum impetu se ferentis, ad ipsius li-
berationem; nequaquam meherculè ea
re contristetur aut expauescat. Talis
prorsus ἀποκαταδονία nunc est Ecclesiæ,
cum multis magnis difficultatibus lu-
ctantis. Sed ardenti pectore oro filium
DEI Dominum nostrum Iesum Chris-
tum, vt vsq; ad finem mundi & glorios-
sum reditum suum ad iudicium, atque
liberationem nostram, conseruet sibi re-
liquias veræ Ecclesiæ in his terris, &
concedat salutarem pacem & tranquil-
litatem, vt laudes diuinæ perpetuo vis-
geant in genere humano; omnia verò
atque prodigia tristissima conuertat in
hostes suos, qui bellum gerunt con-
tra diuini nominis gloriam,
& Ecclesiæ quietem.

DIXI.

DECA

DECANVS COL
LE GII PHILOSOPHICI
M. CONRADVS BERGIVS
Colbergensis Pomeranus, & Rhetor
rica Professor in Academia
VVitebergensi S.



*Tempus adest letum reuolutis solibus
anni,*

*Quo reparant aucti mutua damo
na dies.*

*Prima noui solis ueterisq; nouissima bruma
Extulit aeterni Solis in orbe iubar.
Nos quoq; pastorum uestigia leta secuti
Venimus innuptae matris ad hospitium :
Vidimus in stabulo magni incunabula regis,
Praesepe, infantem, lintheaq; inuolucra :
Vidimus Eoo stella duce ab orbe profectos
Ferre tribus Magos dona notata typis :
Foemineos planctus natorum in caede nefanda,
Et cum matre fugam regis, & exilia :
Ille tamen celebrat solennia sacra superstes,
Et docet in templo tempora cana puer :
Hinc etiam lotus sacris sacer agnus in undis,
Vngitur aethereo Chrismate, uoce patris :
Tum se connubij festis solennibus addit,
Primaq; mirandi muneris ornat ope :
Symbola quae fidei nobis, exempla q; uitae,
Perpetua & regni Christe figura tui est.*

K

Sceptra

Sceptra tibi linguæ plectrum, uox languida robur,
Credenti pandens dulce salutis iter.
Ipse patris λόγος & æterni & sapientia, cunis
Vagitu complex hospita tecta puer:
Nos etiam infantes lactentiaq; ora ferentes
His cunis uocem uis resonare tuam.
Hic studijs opus, ingenijq; indagine docta,
Ut uocis pateant abdita sensa sacra,
Quæ ceu fasciulis composta uolumine sacro,
Matris ab uberibus sunt repetenda pie.
Nec te peniteat contempta in amenaq; matris
Pronaq; in occasum tecta subire pede:
Non ruet, hospitio quia paruulus utitur isto,
Cuius stat cœli machina celsa manu.
Orphana præsijs quanquam caret, attamen illi
Præstat Iosephus mite patrocinium,
Et puerumq; colit supplex, matriq; ministrat,
Pauper, at æterna numinis auctus ope.
Sunt & pastores, iterumq; iterumq; rogati
Angelici memorant carmen ab ore chori.
Gloria quò cœlo redeat, pax aurea terris,
Lux noua mortali pectore, freta D E O.
Barbara quod Bethle negat ista ingrata salutis,
Donat ab auroa missa benigna manus.
Incassum furis Herodes, fer tela, fer ignes,
Cassa omnis ratio & uis, inimica D E O:
Quem petis hic Deus est, puer, inuiolataq; mater,
Exul, at hæc nato fert comitante gradum.
Quæ nunc baptismi persusa salubribus undis
Sub cruce spem, Christi morte animosa, tenet:
Atq;

Atq; inter eannas conuiuia magna palustres,
Infestoq; parat gaudia festa loco,
Vina licet desint, & pocula mæsta quiescant,
Dum uenit auxilijs hora, ferenda mora est,
Mox aderit, plenumq; haustu dabit ubere nectar,
Hydria ubi infuso sexta repleta mero.
Ergo ades huc lætis animis studiosa iuuentus,
Fac iungare noui regis ut hospitij:
Accipe daq; libens gratantibus oscula labris,
Et studijs cunas cum genitrice foue.
Persidos ecce Sophos, quos arte notata magistra
Admonuit uerum quærare stella iubar:
Et nobis opus arte, uti fax accensa sacratis
Codicibus cætos ardeat ante pedes,
Ad Christum ratio bona ducat honestaq; uita,
Nitatur uerbo non dubitata fides.
Et tractamus adhuc igitur studia ista colentes,
Et studia haud dubium est nostra placere Deo.
Incidimus quamuis in tempora tristia, quamuis
In tenui sterilis noster honore labos:
Atroces terrentq; minæ, plagæq; fatigant,
Pro pretio pœna est, ultra dolore fidem:
Ardet ab humano scelere æther conscius, ardet
Peste domi tellus percita, Marte foris.
Quin erecti animis nos contra audentius imus,
Instamusq; operis, adijcimusq; preces.
Ipse Dei natus tegit hos ornatq; labores,
Vnde nouam sobolem regna superna petunt,
Quos propter nondum pax omnibus aurea terris
Exulat, est aliquo mitior orbe quies.

Cuius

Cuius in hoc coetu, dum uox genuina sonabit,
Afflictis melius fidere rebus erit.
Gaudet enim studijs discentum, & coetibus infert
Se medium, affirmans hæc patris esse sui:
Atq; ideo & uisit terras, & semper in ipso est
Sumpta semel miro federe nostra caro,
Vt quibus ante crucem tulerat mite atq; pium cor,
Ceu pendentem humeris nos quoq; gestet ouem.
Quem nunc suppliciter petimus, det libera turbis
Tempora, det studijs otia grata diu,
Quæq; fuere graues nobis, quæq; inde futurae,
Pœnarum facilis triste relaxet onus,
Tristia quæ coelo & terris ostenta minantur,
Vertat in hostiles impia regna lares,
Numine præsentis has terras tegat, & caput & res
Publica iusticia floreat, arte Schola,
Inq; nouum clemens noua gaudia conferat annum,
Gaudia in æternos non peritura dies.
Nunc quibus est animus doctrinæ insignis honorem
Querere, erit cunctis nostra parata fides.

P. P. Die Epiphaniarum,
Anno Salutis 1578.

INVI

INVITATIO AD EXAMEN PUBLICVM.

BENE ET ELEGANTER dictum est in prouerbijs sacris: Ferrum ferro exacui solere, hominem verò facie atq; ore amici. Nam & ab initio in omni doctrinarum genere hoc modo patefacta veritas, & parta certitudo aliqua videtur, cùm veterum inuenta posteriores expolirent, & illorum ingenijs sua acuerent: & post etiam docendi & propagandi easdem optima ratio catechetica est, qua viua voce vtiles doctrinae instillantur discentium animis, & repetuntur ab iisdem. Cumq; plurima sint in omnibus disciplinis obscura adhuc & abdita, quorum in contemplatione hebescit simplex & solitaria mentis acies: ea subeant multorum oculos atq; obseruationem necesse est. Neq; natae solum sententiarum collatione bonae artes sunt, sicut est in Euripidis sententia: ὁμιλία ἔπεισ τέχνας: Sed

K 3

&

& auctæ & propagatæ eadem ratione
deinceps. Quare eos qui discendi stud
dijs sese addixerunt, æquū erat, nō ma
iorem audiendi, quàm audita reddend
di curam suscipere, & sæpe libenterq;
examina subire. Qui verò præcipua
am doctrinæ laudem studio consecuti
sunt, his eò gratior est & iucundior col
latio, quò magis vtilitatem huiusce rei
experiundo didicere. Neque dubium
est, vtiliter retineri in scholis Exami
num consuetudinem. Quam secuti
hoc tempore, sistemus iterum publicè
doctos & honestos aliquot viros atq;
iuuenes, quorum per hosce dies in pri
uatis Examinibus explorata doctrina
& probata industria est. Itaq; reueren
ter & amanter oramus omnes, qui stu
diorum causa in hac Academia nobis
scum commorantur, Dominos Magis
tros, & Doctores omnium faculta
tum, vt hodie hora prima ad placidam,
συσήτυσιον conueniant in collegio Me
dicorum, & Candidatos nostros in
præcipuis Philosophiæ partibus & do
ctrina Ecclesiæ benignè audiant. Eo
modo

modo & de ipsis, quorum honos agitur, benè mereri poterunt: & gratum facturi sunt nobis: & re declarabunt id, quod nobis dubium non est, se de his artibus & studijs sanioris Philosophiæ rectè & honorificè sentire. Benè valete. P. P. III Kalendas Martias Anno 78.

INTIMATIO ACTVS PUBLICI.

DIGNVM MEMORIA est Clemētis Alexandrini, grauiſſimi in Ecclesia scriptoris, iudicium de doctrinarum generibus, quod extat in VII

Σρωματέων: αὐτῶν δὲ λόγοι οἱ πρῶτοι, ἐπιπόρο
λοι οὐτε, ἐπισημονικὴ τῆς ἀληθείας διαμορ
νὴν παρὰ χοιμᾶν. φιλοσοφία δὲ ἡ ἑλληνικὴ οἶον
προκαθάρει καὶ προεδίζει τὴν ψυχὴν εἰς παρα
δοχὴν πίστεως, ἐφ' ἣ τὴν γνῶσιν ἐποικοδομῶ
ἡ ἀλήθεια. Fundamentum atq; basis ver
tutatis in cognitione rerum diuinarum,
est doctrina & fides Christiana. Sed
eius cognitionem minimè leuem aut

K 4

supers

superficiariam esse oportet, vt firma & constans sit ad perpetuitatē. Itaq; sanioris philosophiæ disciplina tanq; famulari & ministra perpurgari & assuefieri animos oportet, vt accipiant illum thesaurum promptius, & constantius tueantur. Proinde magna cura pugnandum est omnibus nobis, quibus nostra & posterorū salus curæ est, vt hoc præsidium doctrinæ liberalis Ecclesiæ integrum conseruemus. Non dubium est hac sola de caussa in papatu tetras corruptelas doctrinæ natas esse, & horrendis in tenebris iacuisse sacra scripta, quòd linguas homines indocti ignorauerunt, quòd vim sermonis, quòd artem diuidendi & distinctè tractandi diuersa doctrinarum genera, quòd reliquum instrumentum dextræ explicationis in obscurioribus locis, ex artibus & doctrina liberali petere non potuerunt. Neque solum Ecclesiæ necessaria est cognitio harum artium; Sed cæteræ etiam disciplinæ locum suum non tenebunt, nisi adiutæ & quasi tersæ literarum ministerio. Itaque omnibus temporibus

poribus scholarum cum Ecclesijs perpetua quaedam fuit συζυγία: & in pace & benè constitutis Rebuspub., populisq; non barbaris, artium & philosophiæ studia perpetuò floruerunt.

Quare nunc etiam omnes sanos & Reipub. amantes fauere his laboribus scholasticis æquum est. Si verò, qui his studijs seriò se addixerunt, monendi atque hortandi sunt, vt ordinem in discendo ament: nec neglectis & relisctis his minoribus artibus quasi alis, stulta admiratione, aut ignauia, temerè inuolent in superiores disciplinas: in quibus vel sudabunt eo modo frustra, vel scopum nunquam attingent. Optimo autem consilio institutum est in Academicis, vt examina & explorationes doctrinæ certo tempore instituantur, & præmia honorum proposita sint ijs, qui circulum illum optimarum artium, quam κυκλοποι δειξιμ vocant, quasi si curriculo absoluerint. Eumq; secuti morem audiuius nunc iterum per hosce dies, eos, qui doctrinæ causa ornari se testimonio honorifico à nobis

contenderunt. Ex quibus inuenti sunt
hoc tempore quinque & viginti docti &
honesti viri, qui progressu studiorum
laudabili, et integritate vitæ ita sunt me-
riti, vt de sententia & communi decre-
to collegij philosophici sumus in philo-
sophia gradus & Magisterij honos illis
conferatur. Qui quanquam omnes fidem
in discendo suam & eruditionem sin-
gularem nobis probarunt, iamque alij in-
docendi honestissimo munere cum laude
versantur, alij spem de se optimam des-
derunt, salutaria organa Ecclesiæ Reique
pub. futuros: Tamē honestissimo cœ-
tui ornando rem omnium pulcherrimā
adhibere necesse fuit, ordinem in recens-
sendo. Cumque non minorem modestiæ
quam doctrinæ laudem eis tribuamus,
certo scimus neminem ex his fore, qui
integritati & æquitati iudicij nostri
quicquam derogandum putet. Sed da-
tuos operam, hos vt ad altiore hono-
ris gradum virtute contendant, illos
vt suum studio tueantur. Etenim in illis
quæ dicuntur ἐγκύκλια παιδείματα
diligentia & assiduitate doctrinæ orbis

conuer

conuertendus est: Ita non raro accidit
illud, quod est apud optimum poetam:
λοῖθος ἀνὴρ ὄχ' ἄριστος. Fiet autem renun-
ciatio proximo die Martis in auditorio
Collegij noui: Cumq; veteri instituto
in solenni congressu publico scholæ id
negocium geri soleat, & publicè inter-
sit, huiusmodi honorum præmia in
conspectu atq; oculis studiosæ iuuen-
tutis versari: Ideo hortamur & amāter
rogamus omnes, qui studiorum causa
in Academia nobiscum viuunt, vt lo-
co indicato ad horam VII matutina
nam adesse velint, & celebrare frequen-
tia sua hunc actum nostrū, atq; hono-
rē candidatorū. Enimuero decet hunc
ordinem nostrū, alios aliorū conatibus
& successibus fauere: Turpe vero fue-
rit, vestra culpa solitudinem in his con-
gressibus nostris conspici, vasta audito-
ria, & vacua subsellia, quasi contēp-
tū bonarum artiū & disciplinarū homi-
nib, nostris exprobrantia. Dabitur om-
nino opera, ne vel molestū cuiquā pro-
lixitatis tædiū, vel pessimè collocatum
tempus illud esse videatur. P P. VI.
Non. Martij Anno 1578.

PSALMVS XXXI.
paraphrasticè redditus.

Precatio Ecclesiæ luctantis sub cruce, & deformatæ scandalis: sub persona Dauidis fugientis à facie Saul.

Æ Terni genitor Verbi, cum Flamine sacro,
Semper es, et per te, quod sumus, omne sumus:
In te præsidium mihi perfugiumq; locavi,
Ah ne frustrato spes mihi uana fluat:
Nulla dies uideat pudibundi opprobria uultus.
Qui tenet in uultu lumina fixa tuo.
Non mea uita metu me liberat, ergo tui me
Polliciti seruet non dubitanda fides.
Aduerte huc facilis, tibi dicere gestio in aur em,
Que mala me fragilem non toleranda preo
Veh mihi, si trepida auerso suspiria uultu (mant.
Respuis, optatam nec properabis opem.
Arx tu fida mihi, quo uis me nulla sequatur,
Saluus et excelsa rupe receptus eris.
Turribus ut ualidis conclusa, cacumine petræ
Hostiles rident mœnia firma minas:
Sic ego, te fretus ductore uieq; magistro,
Securus trepidi quæso pauoris eam.
Te propter recto me dirige calle uiarum,
Nominis hic agitur gloria nempe tui.
Quo me cunq; ferunt gressus sine luce uagantem,
Cœca latent animæ retia tensa meæ:

Hinc

Hinc ut me expedias, tibi sit mea semita cura,
Iuuctum o fidei robur opisq; mea.
Vitam, spesq; meas dulces, summamq; salutis
Depono in manibus non peritura tuis:
Sum tuus haudquaquam paruo tibi Christe redema
Verus es, et mihi sit spes mea firma Deus. (ptus:
Est alijs alia humane fiducia uitae,
Mascula quos uirtus ingeniumue beat:
Ventosae hic plebis fama tumet, ille potentum
Limina, & inuictas pronus adorat opes:
Odi spes fatuas, & inania somnia uulgi,
At mihi cor carum spes alit una Deum.
Exultabo animis, ea lux bonitatis amicae
Effulgens peperit gaudia uera mihi:
Vidisti miseras clades, mala tristia nosti,
Quae mihi crux animae dura fuere mea.
O quoties obsessi aditus, clausiq; receptus,
Intercepta fugae spes mihi cuncta fuit:
Cum subito manus hostilis delusa recessit,
Liberatq; est pedibus semita aperta meis.
Ergo iterum placare Deus, miserere precantis,
Me quia curarum triste fatigat onus.
Tabuit indignis facies mea lurida uisis,
Scabra uelut tinea uestis adesa perit.
Omnis uis animi in curas exhausta fatiscit,
Tabidaq; exuccus uiscera marcor habet:
Sic breue sollicitis affligo laboribus euum,
Moesta trahens egros tempora per gemitus.
Peccatis offensa meis mea pristina uirtus
Concidit, haud insons conqueror illa pati.

Hic

Hic dolor excelsis depascitur ossa medullis,
Nec uigor in nervis, nec manet ore decor.
Casibus ecce meis hostes odia aspera firmant,
Vsq; meam damnat sors quod iniqua fidem.
Ergo pedem referunt mea tristia probra cauentes
Vicini, & iunctos poenitet esse mihi:
Nominis ante mei si quos bona fama tenebat,
Si qua fuit meritis gratia parta meis:
Nunc uersi trepidare metu, aspectuq; pauere.
Nulla fides miseri gaudet amore uiri.
Neglecti, ignoti, uelut olim morte sepulti,
Ex hominum penitus sensibus excidimus:
Perditus, abiectusq;, uelut rimosa fatiscens,
Ante frequens usu testula, nunc iaceo.
Heu mihi quæ uoces populi rumore sinistro,
Quæ uellunt aures crimina scœua meas,
Quos fouet amplexu tenero, indulgentibus ulnis,
Et populi fama sors, opibusq; beat,
Omnes me peraguntq; reum, damnantq; potenter:
Fabula ego linguis inuidiosa malis.
Hinc pavor ille, hinc me suus circumstetit horror,
Præsentisq; horæ uix benè tuta fides.
Me super aduersæ coëunt in federa partes,
Nec labor hos ullus, dum premar ipse, premit.
Nil sum, nil animam præter mihi restat anhelam,
Hoc spoliū est, cupiant quod mihi detrahere.
At mihi spes super una, Deus fortissime rerum,
In te uiuendi spes super una mihi est.
Dixi ego, statq; animo fixum: tu summe Deorum
Tu meus, atra fremant tartara, tu meus es:

Neo

Nec tibi ego auxilijs horam neq; tempora pono,
Fidus es, in manibus sint sita cuncta tuis:
Hoc satis, auertas hostes mea terga sequentes,
Inq; feras tradi no patiare manus.
Seruus ego tuus, eia oculos conuerte serenos,
Gaudiaq; huc uultus splendida redde tui.
In bonitate tua mihi spes est una salutis,
Me serua, & proprium feceris autor opus.
Magne Deus, qui cuncta creasti, & condita seruas,
Semper es, & nobis nunc sociatus ades.
Ne me frustratum pudor arguat: assidue nam
Ad te proclamo, nam mea caussa tua est.
His quibus eterno mens irrequieta tumultu
Aestuat, his turpis uestiat ora pudor:
Tandem praecipites sileant in morte profunda,
Qui nunquam ueris, nec siluere tibi.
Pressa tacere doce muta labia improba lingua,
Non nisi mentitis uocibus apta loqui:
Aspera terriloquis quae rumpunt crimina buccis
In iustum, & fastu dicta proterua graui.
At tua quanta oculos bonitas latet abdit a nostros,
His rata, qui cultu te timuere pio:
Promis enim, inq; oculis hominum insperata repo-
His, qui perfugium te statuere sibi: (nis
Oceulis hos patrij sub amicis tegmine uultus,
Ne premat elati uis inimica uiri:
Abdis eos tuto penetrans culmine tecti,
Ne laceros linguae rixa procacis agat.
Ergo canam Domino laudes, tanq; fauoris
Aeterna in populos haec monumenta dabo.

Et miserescit enim, desperatæq; salutis
 Mirificas miseris inuenit ipse uias:
 Et nos palantes ualidam traduxit in urbem,
 Cuius & ipse unus conditor, & uigil est.
 At mihi consternata malis, confusa metu mens
 Cœperat incerta præcipitare fuga.
 Cur, inquam, diuersus abis, mala nec mea curas?
 Fallor, an auulsum proiecis ex oculis?
 Atq; ea uox audita paternum & mite tuum cor
 Perculit, & fregit mœsta querela animos.
 Ergo fauete omnes linguis, summiq; parentis
 Ardeat haud ficto pectore uiuus amor,
 Vos quibus ærumnis mens mitis, & ægra ferendo
 Propitio uiuit læta fauore Dei.
 Si quis adhuc metus, infestatq; inimica uirum uis,
 Seruat amans fidus pectora fida Deus.
 Huic faciles laxate iras, namq; ipse superbos
 Non expectatis uindicat exitijs.
 Durate ergo animis, quibus huius prodiga uita.
 Expectans Domini mens pia sperat opem.
 Durate, & reuocate nouum in præcordia robur,
 Nunquam deceptis spes ea uana fluet.

F I N I S.

Errata

C. 5. pag. 2. Ver. 1. de prima. le. anima
 G. 2. pag. 2. V. 15. fagitati. leg. fatigati
 G. 7. pag. 1. Ver. 14. verè. leg. vero etc.

Fl 2450


ULB Halle 3
003 140 27X




IA 70L

MA







ORATIO
DE STUDIIS
SANIORIS PHILOSOPHIAE EIVS
que usu in doctrina Ecclesie
& metis,

RECITATA A
DECANO COLLEGII
Philosophici M. CONRADO BERGIO
Colbergensi Pomerano, cum tribueretur
testimonium doctrinae publicae
cum viginti quinque honestis ac doctis
Viris in Academia Vuitebergensi
die 4 Martij
Anno 1578.

*Addita est Quaestio, de sententia
versus graeci: ἡδὲς κομῆτης,
ὅτις ἔκαστον φέρει.*



VVITEBERGAE
Excusa typis Seitzianis.